






Ex libris
Robert FAZY


FZA 1069

cf. à la fin du volume "Comptes rendus des Scandinaves en Terre Sainte. dans l'article l'une Thèse en Sorbonne, la critique de M. C. Ca[illegible] p. 509 – 518

cf. au début du II ème volume

A Monsieur [illegible]
Hommage de respectueux dévouement.

Riant

DE

HAYMARO MONACHO

PARISIIS, TYPIS D. JOUAUST.

DE

HAYMARO MONACHO

ARCHIEPISCOPO CÆSARIENSI ET POSTEA HIEROSOLYMITANO PATRIARCHA

DISQUISITIONEM CRITICAM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

[aul douard idier]
P. E. D. RIANT.

ACCEDIT EJUSDEM

HAYMARI MONACHI

DE EXPUGNATA A. D. MCXCI ACCONE

LIBER TETRASTICHUS


AD FIDEM CODICUM MANUSCRIPTORUM

BIBL. REG BABENBERGENSIS ET BIBL. COLL. ORIEL. OXONIENSIS

RECOGNITUS ET EMENDATUS

—

MDCCCLXV



PATRIS OPTIMI

MANIBUS

D. D. D.

BENE MEMOR FILIUS

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

Prid. kal. jun., Ann. MDCCCLXIV :

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :

Parisiensis Academiæ Rector,

A. MOURIER.

De Heymaro Monacho

Il est pour le marquis de Montferrat contre Gui de Lusignan, et pour Richard contre Philippe. Et ce, quoiqu'il dise lui-même (CCXIV) que Philippe est pour le marquis, et Richard pour Lusignan.

Impartial dans le récit des exploits

[illegible]

Nam quum per inopiam essent vacuati,
Postea per copiam nimis crapulati,
Non est præter physicam, si sint infirmati,
Et de ejus sæculi tædio sublati.

« La plus grande partie des Allemands, pour avoir négligé la règle des aphorismes, et s'être soudainement gorgés de nourriture, fut en peu de jours retranchée du nombre des vivants.

Car, l'estomac creusé par un long jeûne, puis soûlé tout à coup en pleine abondance, il n'est pas contraire aux lois de la médecine, qu'ils aient été malades, puis délivrés. »

Typis mandetur :

Parisiensis Academiæ Rector,

A. MOURIER.

De Heymaro Monacho

P. 104

CLIVI

Ut hanc ergo Marchio possit vindicare,
Fabricatus citius verrex sulcat mare;
Sed quum crebris ictibus debet hanc quassare,
Ipsum cogunt scopuli longius astare.

CLIV

Ut quod nihil proficeret labor hic, cognovit,
Furens, stridens, Marchio machinam removit,
Cum fatorum serie fortunam devovit,
Et suam Beelzebub qui sic turrim fovit.

De Heymaro Monacho

P. 90

Naïveté des impressions et des témoignages :

LXXXV

Major et praecipua pars Teutonicorum,
Non ~~attendens~~ regulam hic aphorismorum
Multam et repente se dans replet ciborum,
In brevi deleta est de sorte vivorum.

LXXXVI

Nam quum per inopiam essent vacuati,
Postea per copiam nimis crapulati,
Non est praeter physicam, si sint infirmati,
Et de ejus saeculi taedio sublati.

« La plus grande partie des Allemands, pour avoir négligé la règle des aphorismes, et s'être soudainement gorgée de nourriture, fut en peu de jours retranchée du nombre des vivants.

Car, l'estomac creusé par un long jeûne, puis soûlé tout à coup en pleine abondance, il n'est pas contraire aux lois de la médecine qu'ils aient été malades, puis déli…

misères de cette vie. » A

De Heymaro Monacho

P. 104

CLIVI

Ut hanc ergo Marchio possit vindicare,
Fabricatus citius verrex sulcat mare;
Sed quum crebris ictibus debet hanc quassare,
Ipsum cogunt scopuli longius astare.

CLIV

Ut quod nihil proficeret labor hic, cognovit,
Furens, stridens, Marchio machinam removit,
Cum fatorum serie fortunam devovit,
Et suam Beelzebub qui sic turrim fovit.

" Furieux, grinçant les dents, le Marquis
.. damna la fortune et la chance ; il
damna Beelzebub, qui protégeait si bien
la tour de ses fidèles. " A

Cela cadre bien avec ce que l'auteur
du poème dit de lui-même,
strophe XIX et XX :

Sine mora Marchio jubet praeparari
Cuncta necessaria, naves onerari,
Et quia non poterat terra, venit mari,
Fluctibus ut Boream vidit dominari.

XX

Nos cum eo venimus....

c. 1189.

De Haymaro Monacho

P. 81 Mélange de plaisanterie peu relevée, et de souvenirs classiques.

XXXVIII

Si confratres mei tunc ibidem fuissent
Et tenere dentibus me tandem vidissent,
Horum quidam, reputo, super me risissent,
Sed eorum plurimi pro me doluissent.

XXXIX

Esse mallet quilibet sine aqua rasus,
Quam pati, quod passus sum, tot adversos casus.
Non mihi tunc somnia dictabat Parnasus,
Quum a cibis triduo jejunat omasus.

De Haymaro Monacho.

P. 34 Minime igitur dubium est eum ibi, jam incepta obsidione, versatum esse. Ceterum, obsidioni adfuisse Monachum plane comprobatum est. Nempe, dum oppugnaretur Acco, defunctus est Gualterius II Grenier, dominus Cæsareæ, cujus testamento conscribendo præfuit Monachus.....

Cela cadre bien avec ce que l'auteur du poëme dit de lui-même, strophe XIX et XX:

Sine mora Marchio jubet præparari
Cuncta necessaria, naves onerari,
Et quia non poterat terra, venit mari,
Fluctibus ut Boream vidit dominari.

XX

Nos cum eo venimus....

A. C. 1189.

De Haymaro Monacho

P. 81 Mélange de plaisanterie peu relevée, et de souvenirs classiques.

XXXVIII

Si confratres mei tunc ibidem fuissent
Et tenere dentibus me tandem vidissent,
Horum quidam, reputo, super me risissent,
Sed eorum plurimi pro me doluissent.

XXXIX

Esse mallet quilibet sine aqua rasus,
Quam pati, quod passus sum, tot adversos casus.
Non mihi tunc somnia dictabat Parnasus,
Quum a cibis triduo jejunat omasus.

XXXVIII, 2 : pour <u>tandem</u> il faut lire <u>tendam</u>.

XXXIX, 3 : Imitation de Perse :
Neque in bicipiti somniasse Parnasso
Memini ....

(A.C. 1191, la veille de l'Epiphanie)

7 De Heymaro Monacho

P. 111 Souvenirs classiques

CLXXXIX

Vicis, castris, urbibus Cypri subjugatis,
Plene licet faveant, rex addenda fatis
Cogitat calcaria.

Sénèq. De Ira, III, 3, 2 : (Aristoteles dicit iram) Calcar esse virtutis.

---

6 De Heymaro Monacho

P. 101 CXLI

Nocte pluit integra, nec mane sequente
Redeunt spectacula. Sed, Austro fremente,
Crepitant tonitrua aethere candente,
Nix, hymber cum grandine cadunt vehementer

(Singulier souvenir du distique attribué à Virgile!)

(A.C. 1191, la veille de l'Epiphanie)

7 De Heymaro Monacho

P. 111 Souvenirs classiques

CLXXXIX

Vicis, castris, urbibus Cypri subjugatis,
Plene licet faveant, rex addenda fatis
Cogitat calcaria.

Sénèq. De Ira, III, 3, 2 : (Aristoteles dicit iram) Calcar esse virtutis.

Horace, II, Ep. I, 216 : et vatibus addere calcar.

CCXX

t plures corrigiis arcus incurvabant,
lorum lateribus, quos excoriabant.
aptum fel ab hepate reliqui portabant,
io pleni nequitia Turci redundabant.

CCXXI

alia conspiciens quisque gratulatur
uod in illos Dominus sic se ulciscatur,
ui Crucem promiserant ......

1 De Heymaro Monacho

P. 89 Echantillon de sa plaisanterie.

LXXVIII

Dictus est Saleficus, quasi factus sale;
Dicatur maleficus, quasi fidus male.
Salum maris timuit, quasi sit mortale:
In salo Salefici solum dicit vale.

" On le nomme Salef, comme sel faisant; qu'on le nomme donc Malef, comme mal faisant. Le prince craignait l'eau salée, comme embûche de mort; c'est dans l'eau salée du Salef seulement

---

9 De Heymaro Monacho

P. 117 Férocité

On lave leurs entrailles, on les brûle pour trouver l'or:

CCXIX

Nam haec, plena plurimis dolis gens, per ora
Aureos recondeprat in interiora,
Quos emittens postea per inferiora,
Allambebat iterum sero vel aurora.

CCXX

At plures corrigiis arcus incurvabant,
Illorum lateribus, quos excoriabant.
Raptum fel ab hepate reliqui portabant,
Quo pleni nequitia Turci redundabant.

CCXXI

Talia conspiciens quisque gratulatur
Quod in illos Dominus sic se ulciscatur,
Qui Crucem promiserant......

1 De Heymaro Monacho

P. 89 Echantillon de sa plaisanterie:

LXXVIII

Dictus est Saleficus, quasi factus sale;
Dicatur maleficus, quasi fidus male.
Salum maris timuit, quasi sit mortale:
In salo Salefici solum dicit vale.

" On le nomme Salef, comme sel faisant; qu'on le nomme donc Malef, comme mal faisant. Le prince craignait l'eau salée, comme embûche de mort; c'est dans l'eau salée du Salef seulement qu'il nous dit adieu. " A

Et ce, quand il déplore sincèrement la mort de Barberousse (1190), comme on le voit dans ~~la strophe suivante~~ l'ensemble du passage. ~~LXXIX~~

Ignis hic conficitur tantum per paganos;
Ignis hic exterminat tantum Christianos;
Incantatus namque est per illos prophanos.
Ab hoc et perpetuo, Christe, libera nos.

" De Heymaro Monacho.

89 Naïveté des sentiments et des témoignages :

LXXXI

[R]omanorum principi et imperatori
[D]iceretur potius et esset honori,
[R]utilante sanguine quam in aquis mori,
[C]uis nec principibus hoc esset terrori.

LXXXII

[J]am, ut verum fatear, quod mihi dixere
[Q]ui secum tunc temporis ibidem fuere,
...

De Heymaro Monacho

P. 95 Naïveté des impressions.

CXII

Ignis ille fetidus, ignis execratus,
Cum ampullis vitreis desuper stillatus,
. . .
. . .

CXIII

Pereat o utinam hujus ignis vena....
. . . . .
. . . . .
. . . . .

CXIV

Ignis hic conficitur tantum per paganos;
Ignis hic exterminat tantum Christianos;
Incantatus namque est per illos prophanos.
Ab hoc et perpetuo, Christe, libera nos.

" De Heymaro Monacho.

P. 89 Naïveté des sentiments et des témoignages :

LXXXI

Romanorum principi et imperatori
Diceretur potius et esset honori,
Rutilante sanguine quam in aquis mori,
Suis nec principibus hoc esset terrori.

LXXXII

Nam, ut verum fatear, quod mihi dixere
Qui secum tunc temporis ibidem fuere,
Universi principes ita timuere,
Quod illorum plurimi mari transiere.

1a

Interpolations.

(non relevée par M. Riant)

P. 108

Deux fois la même strophe:

CLXXXVI

Ut habere valeant hanc remissionem,
Omnes largam faciunt erogationem,
Post cordis munditiam et confessionem;
Sed praelati faciunt distributionem.

CLXXXVII

Ut tantae participes sint remissionis,
Prae cordis munditia et confessionis,

De Heymaro Monacho

Interpolations.

(Reconnue par M. Riant.

Tetrasticha 79, 80 desunt,
dit-il, in Babenbergensi.

(Et elles ont raison d'y
manquer: interpolation évidente.)

Interpolations.

(non relevée par M. Riant)

P. 108

Deux fois la même strophe:

CLXXXVI

Ut habere valeant hanc remissionem,
Omnes largam faciunt erogationem,
Post cordis munditiam et confessionem;
Sed praelati faciunt distributionem.

CLXXXVII

Ut tantae participes sint remissionis,
Prae cordis munditia et confessionis,
Erogant de propriis omnes large bonis;
Onus ferunt praesules distributionis.

11

Interpolations.

(non relevée par M. Riant)

P. 108

Deux fois la même strophe:

CLXXXVI

Ut habere valeant hanc remissionem,
Omnes largam faciunt erogationem,
Post cordis munditiam et confessionem;
Sed prælati faciunt distributionem.

CLXXXVII

Ut tantæ participes sint remissionis,
Præ cordis munditia et confessionis,
Erogant de propriis omnes large bonis;
Onus ferunt præsules distributionis.

15 De Heymaro Monacho

P. 105

Mélange du sacré et du profane

CLVIII

O nequam et infida series fatorum!
O crudelis Atropos, pessima sororum!
Numquid simul rumpere vis Christianorum
Fila, quos praesidio privas praelatorum?

---

14 De Heymaro Monacho

P. 111

Vivacité, brièveté

CLXXXVIII

Sed a rege reddere cuncta postulatur.
Negat, pugnat, vincitur, fugit, vinculatur.....
.....
Captivator hominum modo captivatur.

15

De Heymaro Monacho

P. 105

Mélange du sacré et du profane.

CLVIII

O nequam et infida series fatorum!
O crudelis Atropos, pessima sororum!
Numquid simul rumpere vis Christianorum
Fila, quos praesidio privas praelatorum?

NSPECTUS

, p. 1.

AM A JOHANNE HEROLD A. D. MDXLIX

16 De Heymaro Monacho

P. 112 CXCV Souvenirs classiques

Armis ~~potent~~issimi perierunt mille,
Quod si forte mœnia recepissent villæ,
Nunquam hos devincerent iste rex vel ille,
Non occurrens Græcia tota cum Achille.

CONSPECTUS

DISQUISITIO PRÆVIA

I

DE OPUSCULO QUODAM A JOHANNE HEROLD

ANNO MDXLIX EDITO.

Anno salutis humanæ MDXLIX, Dom. Philibertus Poyssenot, e Sancti Benedicti congregatione, Hieronymiani Dolæ Collegii præses, et Altkirchi ad Phanum Sancti Morandi sacris præpositus (1), Basileæ, Oporini impensis, « *Historiam Belli Sacri* » (2) edidit, *a Guillelmo Tyrio* De Opusculi istius editione principe.

(1) Phil. Poyssenot, nat. Jouhe 1492, † Dolæ 1556.

(2) « *Belli Sacri Historia* libris « XXIII comprehensa, de Hieroso- « lyma, ac terra promissionis, « adeoque universa pæne Syria, « per Occidentales principes chri- « stianos recuperata, narrationis « serie usque ad regnum Bal- « duini quarti per annos LXXXIIII « continuata. Opus mirabili rerum « scitu dignissimarum varietate « refertum, ac historiæ studiosis « ut iucundissimum ita et utilissi- « mum futurum, ante annos qui- « dem circiter quadringentos con- « scriptum nuncque primum doc- « tissimi viri *Philiberti Poysse-* « *noti* opera in lucem editum. — « *Guillelmo Tyrio, metropolitano* « *quondam archiepiscopo ac re-* « *gni eius cancellario, autore.* — « Cum Cæs. Majestatis gratia et « privilegio ad quinquiennium. « *Basileæ.* »

Quem titulum sequuntur in exemplari quod in Bibl. Cæsar. Par. servatur.

scriptam, cui præfationem longam præmittebat, Dom. Christophoro Coquille, theologiæ doctori, et « priori majori Cluniacensi Marciniacensi », dedicatam; editus vero liber annorum quinque privilegio donabatur.

Eodem anno (1) edita est, ibidem atque ejusdem Oporini typis, ad Guillelmi Tyrii principem editionem accessura, et sex libris comprehensa, « *Historiæ Belli sacri* « *continuatio* » (2), a Johanne Basilio Herold Hochstet-

F. 1. *v*°, « Michaelis Toxites « Rhetici ad lectorem Disticha. »

FF. 2 *v*°— 7 *v*°, « Epistola Phi- « liberti Poyssenot ad D^m^ Chris- « tophorum Coquille. »

FF. 7 *v*° — 8 *v*°, « Johannis Faletani epigrammata. »

PP. 1-578, « *Historiæ contextus*. »

P. 578, « *Finis. Basileæ, per* « *Nicolaum Brylingerum et Jo-* « *hannem Oporinum, anno sa-* « *lutis humanæ* MDXLIX, *mense* « *martio*. »

Alterum tamen ejusdem libri, in Bibl. nempe S. Genovefæ Parisiensis, vidimus exemplar, quod, integro supradicto titulo, cum priore exemplari paginis quidem congruit, foliis autem discrepat, quæ hisce constant opusculis.

F. 2 *v*°, « Epistola dedicatoria « Johannis Oporini ad reveren- « diss. in Christo patrem illus- « trissimumque D^m^ Sebastianum « Archiepisc. Moguntinum. (Data « a. d. MDXLIX, mense martio.) »

F. 3 *v*°, « Michaelis Toxites « Disticha. »

FF. 4 *v*° — 11 *v*°, « Index « totius operis. »

(1) Non autem anno MDLX sicut volunt Græsse. Brunet. Pottast, etc., qui hanc « Continuationis « Heroldianæ » editionem principem præteriisse videntur.

(2) « *De Bello Sacro conti-* « *nuatæ Historiæ libri VI*, com- « mentariis rerum Syriacarum « Guilhelmi Tyrensis Archiepis- « copi additi. In quibus qua for- « tunæ, qua temporum vicissi- « tudine, ab initiis urbis et Regni, « res Hierosolymarum ad nostra « usque tempora per mille atque « quingentos annos agitatæ aut « bellis vastitateque afflictæ ja- « cuerint, diligentissime descri- « bitur,—Johanne Herold Hoch- « stettensi authore. »

« *Adjecimus de Expugnatione* « *urbis Ptolemaïdos Monachi Flo-* « *rentini Archiepiscopi Acconen-* « *sis Rhythmum, insuper etiam* « *de Saracenis profligatis ab* « *Alphonso X Hispaniarum rege* « *rescriptum, cum Epistola pro-* « *cerum eorum quorum opera et* « *industria Albigenses hæretici* « *et devicti et deleti fuerunt, om-* « *nia abhinc tricentesimo ac* « *paulo plus minusve quadrage-*

tensi (1), e Philiberti Poyssenot familiaribus, absoluta.

Hic autem J. Basil. Herold, cui Philibertus Poyssenot nonnulla ministraverat, quæ ad continuandam Historiam prodessent, non absurdum fore judicavit si quædam ex illis, materiam nempe ac silvam operis, ad libri calcem apponeret. Quæ hujusmodi erant :

I° *Rhythmus tetrastichus de obsessa et expugnata Accone*, *ann.* MCLXXXIX-MCXCI.

II° *Epistola regis Alphonsi X ad Innocentium III* (2), de clade apud Tolosam, die julii xvj, ann. MCCXII, a Sarracenis, qui Hispaniam colebant, accepta.

III° *Epistola Episcoporum, qui sacro adversus Albigenses bello præerant*, de hostium strage, occisoque apud Muretum Petro II, rege Araconensi (die xvij sept., ann. MCCXIII).

« *simo anno gesta et scripta*, — « nunc vero cura et diligentia « Philiberti Poyssenoti, ad Phanum Di Morandi sacris præpositi, in lucem tradita ac cum « enarratione historiæ ab ipso « Johanne Herold illustrata. *Basileæ.* »

F. 1 *v°*, « Index auctorum citatorum. »

FF. 2 *v* — 3 *v°*, « Epistola dedicatoria totius operis (*dat Pfeffingen xv. Kal. sept. anno Chr.* « MDXLIX). »

PP. 1-231, « Continuationis « contextus. »

P. 232, « Epistola dedicatoria « Rhythmi. »

PP. 233-242, « *Rhythmus.* »

PP. 242-243, « Epistola dedicatoria Epistolarum quæ sequuntur. »

PP. 244-253, « Epistolæ II de « Sarracenis et Albigensibus. »

(1) J. Bas. Herold, natus Hochstett 1511, † Basileæ circa 1570. Non idem ille est ac Johannes quidam Herolt theologus, qui sæc. xv° florebat, cujusque, ut Hochstettensis, opera Basileæ in lucem edita sunt. Noster autem multa reliquit varii argumenti opera inter quæ : principes *Mariani Scoti, Martini Poloni, Gotefridi Viterbiensis, Eugyppii et Petrarcæ* editiones, Basil. typis mandatæ, *Orig. et antiq. Germanicarum lib. III* et *Dialogi* diversi, nunc rarissimi, annumerantur. (Pantaleonis *Prosopographia Viror. Illustr.*, p. 525, et Gessner, *Bibl. Universalis.*)

(2) Innoc. III, *Epist.*, l. xv, ep. 182, ed. Migne, III, col. 699.

Ornaverat etiam Herold singulos Continuatæ Historiæ libros, sua quemque dedicatoria epistola; necnon ejusdem generis præfatione singula opuscula, in calce libri jacentia, instruxit (1).

De Opusculi ejusdem editione altera.

Quindecim abhinc annis (MDLXIV) (2), quum jam exisset

(1) In summa Epistolæ VIII, scilicet :

I. « *Epistola dedicatoria totius* « *operis*. Philippo Pio Pontif. ce« terisque ad ædes Magnæ Matr. « Mariæ apud Basiliam Rauraco« rum flaminibus. »

II. « *Epistola dedicatoria, lib.* « *II*. Joh. Rudolpho Tranquillo, « Marbacensis ac Luciensis Col« legii abbati. »

III. « *Epistola dedicatoria, lib.* « *III*. Joh. Lanstenio Frugi. Mar« bacencis Collegii priori. »

IV. « *Epistola dedicatoria, lib.* « *IV*. Materno Bylero Absthemio, « decurioni, ceterisque Luttenba« censis Collegii sodalibus. »

V. « *Epistola dedicatoria, lib.* « *V*. Casparo Comi, ad Phanum Si « Blasii Sylvæ Hercyniæ abbati. »

VI. « *Epistola dedicatoria, lib.* « *VI*. Bonaventuræ Fausto, Insulæ « Rhynau abbati. »

VII. « *Epistola dedicatoria* « *Rhythmi*. Conrado Wescher « Hospitali, sacrarum ædium in « Benwiller curatori. »

VIII. « *Epistola dedicatoria* « *Epistolarum de Saracenis et* « *Albigensibus*. Johanni Fabri « Sollicito Bettfortensi, Philippo « Pio Episcopo Basiliensi, a sa« cris et cubiculo. »

(2) « *Historia Belli Sacri*, etc, « cum continuatione de Bello Sa« cro Historiæ quæ libris VI ad « nostra tempora usque exten« ditur, et Hierosolymitani Regni « et Urbis casus et varietates « fortunæ ordine explicat, cum « præfatione Henrici Pantaleonis, « etc. *Basileæ*, *apud Nicolaum* « *Brylingerum*, *anno* MDLXIV. »

FF. I *v*° — 3 *v*°, « Epistola « dedicatoria ad Reverendiss. « Princ. et Dom. Georgium ab « Hochenheim Bombastum, Hos« pitalis Si Johannis per totam « Germaniam Magistrum. »

F. 4 *v*°, Vita Guilhelmi Tyrii.

PP. 1-434, Historiæ contextus.

FF. 1-8, Index totius operis.

Sed « *Continuatio* Heroldiana », invito Pantaleonis titulo, ad calcem nusquam invenitur.

Guillelmi Tyrii tres insuper exstant editiones : I° nempe apud Bongars, *Gesta Dei per Francos*, I, pp. 625-1046; II° apud *Recueil des historiens des Croisades*, t. I, part. 1 et 2; III° apud Migne, *Patrologiæ cursus*, t. 201, pp. 200-892. (*Bongarsii textus*.) Ejusdem plures habemus versiones Medio Ævo conscriptas, nempe gallicas duo : 1° unam, anonymo quodam auctore, in « *Recueil des Historiens des Croisades* », sub titulo *Estoire de Eracles*, typis mandatam; 2° alteram, adhuc ineditam et Balduino

datum ab Imperatore privilegium, et ipse defunctus esset Philibertus Poyssenot, medicus quidam Basilensis, nomine Henricus Pantaleo (1), instaurandam Historiæ Guilelmi Tyrii editionem suscepit, cui textum « fideliter corrigere, usitatiora verba pro obsoletis apponere et « multo emendatiorem in lucem edidisse (2) » mens erat, ut ipse in epistola profitetur, qua opus dat dicatque « *Principi Georgio ab Hochenheim, Hospitalis Sancti Johannis per totam Germaniam magistro.* » Huic etiam historiæ, consentiente sane Herold, cujus ille civis erat, alteram Continuati Belli Sacri editionem (3) adjecit, quam Herold, nullo loco mutatam, ann. MDLX ediderat, omissis quidem octo, quæ nuper aderant, præviis epistolis, unaque ab integro in harum locum « *Johanni Militi, ad Agaunum Veragrorum, Phani D. Mauritii antistiti* »,

Avennensi, ut videtur, tribuendam (Ms. Bibl. Cæs. Paris, Fr. n°ˢ 84, 660, etc.); — Hispanicam unam, mandante Alphonso X° rege, exaratam, atque sub titulo « *La Conquista de Ultramar* » (Madrid, 1844, in-8°) a Pascali de Gayangos editam; — Italicam denique unam a Laurentio quodam Florentino sæc. XIV° conscriptam et in cod. ms. bibl. Laurentianæ (Plut. LXI. n° 45) servatam. Recenti autem ævo elaboratæ quatuor aliæ repperiuntur, nempe gallicæ duo : 1° a Gabr. Du Préau, Paris, 1573, in-fol.; 2° F. a Guizot, in *Coll. des Mém. sur l'histoire de France*, *XVI-XVIII*; versio autem italica una superest, ab Horologgi et Baglioni, *Venezia*, 1562-1610, in-4°. Versio denique germanica a Kaussler, *Stuttgard*, 1840, in-8°.

(1) Henr. Pantaleo, nat. Basileæ 1522, † in eadem urbe 1595, Medic. Facult. Basil. Decanus et Comes Palatinus, cujus plura habemus non spernenda, inter quæ *Historia Martyrum Gall., Germ. et Italiæ* (*Bas.*, 1551-1563); *Comment. Rerum in Eccl. gest.* (*B.* 1559 - 1563); *Prosopographia Virorum Ill. Germ.* (*B.* 1566), *Diarium Historicum* (*B.* 1582.), — *Historia denique Johannitarum* (*B.* 1586) curiosissima, notanda sunt. (Gessner *Bibl. Universalis.*)

(2) Pantaleonis *Præf.*, f. 31.

(3) Cui idem titulus est ac editioni principi, ablato vero Philiberti Poyssenot nomine, hisque ad paginæ finem additis : « Basi« leæ, per Nicolaum Brylingerum, « anno MDLX. »

dedicata; eamdem vero libri partem typosque omnino eosdem obtinuere « *Rhythmus Acconensis* » duæque de *Saracenis et Albigensibus Epistolæ.*

De opusculi ejusdem recensionibus.

Nobis non destinatum est de duabus illis Guillelmi Tyrii editionibus agere, quarum prior plane accurata est, alteram vero, ut ait ipse Bongars, « quam emendatam polli« cebatur, corruptam dedit Pantaleo. » Hoc tantum in animo habemus ut de opusculo, versibus consonantibus scripto, disseramus, quod anno salutis MDXLIX edidere Joh. Herold et Philib. Poyssenot, ad continuati Guillelmi Tyrii priorem editionem accedens, quodque ann. MDLX solus Herold, nulla lectione emendata, ne verbo quidem mutato, alteri ejusdem operis editioni subjectum, exprompsit.

De quo præfari liceat non valde nobis profuisse, in hoc labore explanando, criticos ac bibliographos qui Joh. Herold præcesserunt vel exceperunt. De Rhythmo ante illum nulla mentio habetur (1); post illum quoque, licet omnis fere ac verbo tenus in undecimo « *Continuati Belli* » libro contineatur, nocte tantumnon perpetua Rhythmus premitur. Fabricius et Du Cange (2) operis tantummodo titulum indicant; ad quem ne alludit quidem Struve, et nuper Pottast nonnisi mendose opusculum

F. 1 *v°*, « *Auctores citati.* » Quæ sæpius desunt.

FF. 3 *v°* — 4 *v°*, « *Epistola* « *dedicatoria.* »

F. 4 *v°*, « Georgii Fabricii *Oda.* »

PP. 1-224, « *Continuationis* « *contextus.* »

PP. 228-234, « *Rhythmus.* »

PP. 234-243, « *Epistolæ II de* « *Saracenis et Albigensibus.* »

Quas ad annos MDLVI et MDLXIV Græsse et Brunet indicant editiones nobis merito subditiciæ videntur.

(1) Nec in Trithemio, nec in Sixto Senensi, nec in ceteris Medii Ævi bibliographis, ne unum quidem de isto verbum invenitur.

(2) Fabricius, *Bibl. Med. et Inf. Latin.*, V. p. 85. — Ducange, *Gloss. Med. et Infimæ Latin.* VII, p. 410. — Cf. Negri, *Hist.*

significat. Solus noster Michaud (1) breviarium illius quoddam exhibet, quod, cujus sit pretii, infra videbimus. Hoc quidem excepto, per trecentos annos ab edito opusculo ad nostram usque ætatem lapsos, unum modo, qui ad illud alluserit et recurrerit, auctorem invenimus, Johannis Herold et Philiberti Poyssenot ævo natum, Jacobum Gretser (2), e Soc. Jesu, qui, tertio libro tomi III ad immensam ejus « *de Cruce Christi* » compilationem pertinentis, poema illud memorat, nonnullosque ex eo versus laudat. Nullas quidem alias, apud sequentium ætatum auctores, proferri posse recensiones arbitramur.

II

DE OPUSCULI EJUSDEM MANUSCRIPTIS.

Si codicem genuinum in manu habere liceret, cujus ad fidem editus est Rhythmus anno MDXLIX, non sane difficile fuerit subjectas quæstiones explanare, ætatemque et auctorem poematis designare; sed nobis fatendum est codicem illum adhuc nos, omni eum via quærentes, fefellisse. Hoc unum scire licuit, codicem istum certo Guillelmi Tyrii Historiam, ac Rhythmum, fortasse etiam Epistolas duas « *de Saracenis et Albigensibus* » continuisse, quod ap- De Codice Hieronymiano Dolano deperdito.

dei Scritti Fiorentini, p. 417, et Jöcher, *Allg. Lexicon*, II, p. 607; nil amplius præbent Gessner, Vossius, Saxius et Schütz.

(1) *Bibl. des Croisades*, III, pp. 329, 330.

(2) *Tomus Tertius de Sancta Cruce*. lib. III, p. 3028. Vertot, *Hist. de Malte*, I, p. 240, aliquos, sine commentario, Rhythmi nostri citat versus.

paret ex hoc epistolæ loco, quam Conrado Wescher (1) dicabat Joh. Herold : « Accipe igitur, Conrade, tesseram hos-« pitalem, Monachi scilicet Florentini Rhythmum, quem, « ante annos CCCL conscriptum, Ph. Poyssenot..... vir in-« tegerrimus, nobis *una cum Belli Sacri* a Guilelmo Ty-« rensi archiepiscopo scripta *Historia*, *obtulit.* » Quem codicem Philib. Poyssenot ex Hieronymiana Dolæ bibliotheca sumpserat : huc vero codex qua ratione allatus esset, emptusne et cum ipsa bibliotheca dono datus ab Antonio de Roche, an ex Italia ab ipso Ph. Poyssenot reportatus, incertum est; illud certe scimus, a Ph. Poyssenot codicem, ex Dola primum in urbem Altkirch, in qua D. Morandi phano præsidebat, et inde Basileam, urbem prorsus vicinam, quo itinera nonnulla faciebat, devectum fuisse. Ipse etiam ait se codicem flagitanti tunc Oporino commisisse, quæ causa fuit editi anno MDXLIX operis duabus ornati præfationibus, quarum alteram scripsit editor, alteram typographus. Restiterant autem in calce codicis terna de quibus diximus opuscula; quæ quum Johanni Herold exhibuisset Philibertus Poyssenot, ab hoc data est ea usurpandi venia, continuandæ *Belli Sacri Historiæ* profutura. Quare, ubi illa edidit Herold, in titulo nomen Philiberti Poyssenot qui secum ea communicasset, sibique decus edendi libri reliquisset, cum suo consociare non dubitavit. Haud alium codicem ac istum Pantaleoni Basileæ a. d. MDLX in manu fuisse, ambobus collatis editionibus, pro certo habemus. Ab anno inde MDLX nullum jam codicis vestigium reperiri, neque hodie in Europa plus novem (2) Guillelmi Tyrii codices superesse, satis compertum habemus, quorum hæc series est :

(1) Ed. princ., p. 232.

(2) Decimum quemdam Guil. Tyr. manuscriptum, nunc autem deperditum, in Bibl. Gall. Instit.

1° Parisii. Bibl. Cæs (*Lat. n°* 4604) (*Lavall.* 12). Sæc. xv, in-fol.

2° ibid. Bibl. Cæs. (*Lat. n°* 6066) (*Colb.* 959 — *Pithœan.*). Sæc. XIII, in-fol.

3° ibid. id. (*Suppl. lat. n°* 188 — *Navar.* 21). Sæc. XIV, in-4°.

4° Monspessulanus, Bibl. Facult. Medic. (*Lat. n°* 91 — olim *Pontiniacum* — *Bouhier*). Sæc. XIII, in-fol.

5° Roma. Bibl. Vatican. (*Lat. n°* 2002). Sæc. XIV, in-fol.

6° Roma. Bibl. Vatican. (*Reg. Christ. n°* 690. — *Petav. n°* 195). Sæc. XIII, in-fol.

7° Londinum. Brit. Musæum. (*King's library* 14 C. x 1-4). Sæc. XIII, in-fol.

8° Cambridgia. Bibl. Coll. Corp. Christi. (*Lat. n°* 95). Sæc. XIV, in-fol.

9° Madritum. Bibl. Nat. (*Lat. B. b.* n° 29). Sæc. XIII, in-fol.

Mirum quidem videtur tam pauca superesse, quum tot et tantas de « *Historia Belli Sacri* » Medium intra Ævum vulgari sermone scriptas fuisse operas consideramus. Ex illis IX codicibus, tres, Navarrensem dico, Pithæanum et Cambridgensem, usurpavit Bongars; ac si hujus textum conferas cum Ph. Poyssenot editione, manifestum habeas nulla ratione inter tres illos annumerari posse deperditum Hieronymiani collegii codicem. Ceterum pleni illi et integri sunt, si tamen codicem Pithæanum excipias, cui desunt folia tantum duo. Navarrensi manuscripto nulla subest appendix; — Cambridgensi quoque nihil additum, præter quoddam, in litteram digestum, *Ethicæ repertorium;* — La Vallieranum librum primum continet *Itinerarii Ricardi I;* — Monspessulanense, quippe foliis nonnullis mancum, nihil; — Madritanum, opuscula tantum duo : *Versus*

sub n° 226 olim asservatum esse (invito Catalogo, qui codici isti gallicum affigit titulum) suspicamur. Cf. Hænel, p. 295.

videlicet *amatorios*, *Philosophicum* præterea quemdam Laurentii et Johannis disceptantium *de Muliere Dialogum* (1); — Londinense (2), eumdem *Itinerarii Ricardi* librum primum et *Indicem Magnatum in opere citatorum;* — Romana denique, nihil.

Ceterum Hieronymianus codex notam quamdam propriam et certissimam præ se ferebat, quam nullus ex vj istis prioribus manuscriptis exhibet, scilicet quod ad calcem capituli xij libri XIV « *Notitiam Orientalium Ecclesiarum* » insertam habebat, quæ in omnibus supra dictis codicibus aut deest omnino, aut ad finem totius operis rejecta legitur (3).

Hoc tantum, si quis ipsum J. Herold textum attentius legat, arbitrari licet, codicem quo usus sit, quamquam eum « vetustissimum » esse existimabat, tamen paulo recentius exscriptum fuisse, neque adeo felici cura, quippe qui, si ad Rhythmum spectamus, scripturæ mendis redundat. Accedit quod verisimile est codicem illum in Italia scriptum esse, Florentiæ fortasse, ubi eum a Ricordano Malespini sæculo tertiodecimo, et a Johanne Villani sæc. XIV cognitum fuisse non absurdum foret arbitrari; quod quidem infra tractabimus. Ubi autem gentium nunc quærendus sit ille codex, utrum Romæ, an, falso sub titulo, in quadam Burgundiæ vel Helvetiæ bibliotheca, incertum; hoc vero plane scimus, neque Dolæ, neque Basileæ

(1) Ab Edelestand du Méril typis mandatum, in *Poésies pop. latines du Moy. Age*, pp. 179 et seq.

(2) Cassley, *MMss. of the King's Library*, London, 1734, in-4°, p. 232. Cf. Stubbs, *Introduction to Itinerarium Ricardi*, p. lxxiij.

(3) Quas notitias liberalissime nobis præbuerunt doctiss. viri D. Gaudin, Musæi Monspessulanensis conservator; D. Perowne, Bibliothecæ Corp. Christ. Coll. Cambridgensis præpositus, et D. Joh. Eug. Hartzenbush, Nat. Madritanæ Bibl. procurator.

neque Bernæ (1), neque, si qua fides indiciis habenda est quæ in Pertzianis Archivis dantur, in ulla Germaniæ bibliotheca usquam esse habendum.

Exstat tamen etiamnunc scripti separatim Rhythmi codex in Regia Babenbergensi bibliotheca, necnon ejusdem operis fragmentum. Oxonii, in Orielano collegio.

De Codice Babenbergensi.

Babenbergensis quidem codex, qui, ut ex notis quibusdam patet marginalibus, in Benedictinæ *S. Michaelis in Monte* Babenbergensis domus (IIm nempe volumen *Ricardi S. Victoris Operum omnium*) bibliotheca asservabatur, qui autem, ista domo a. d. MDCCCIII sæcularisata, in regiam Biblioth. Babenberg. asportatus, nunc etiam ibidem sub indice *B.* IV 29 *fol.* annumeratur, in folio majore, foliis clxv constat, binisque columnis, a librario quodam Babenbergensi (2), atque, ut videtur, Innocentio papa III° nondum defuncto (3), clarissime exaratus, quæ sequuntur complectitur opuscula :

(a) f. 1 r. col. 1 — f. 2 r. col. 1.
Gregorii papæ *Prologus et Index* XL *Homeliarum* ad Secundinum Touromenitanum Episcopum.

Quæ autem in hac re de Monspessulanensi codice ultima Academiæ Guillelmi Tyrii editionis nota (*Historiens des Croisades*, I, p. 1137) asserit a reipsa summo distare comperimus.

(1) Sicut nos docuerunt D. Pattu, Dolanus, D. Bustorffalkeiser, Basilensis Bibl. conserv., et et D. Lud. de Steiger, Eq., Bernensis Bibl. procurator.

(2) Quippe qui eadem manu et codicem ipsum et notas marginales supradictas scripsisse videtur.

(3) In quodam enim pergameneo *ungulo* annexo, de quo infra sermo est, et qui aliquot versus — ultimos nempe — *Rhythmi Pontificalis* continet, rhythmus iste cum Eugenio III papa finitur. Librarius autem versibus supradictis, ex ungulo in magnum codicem translatis, xij versus, seriem ad Cœlestinum usque papam IIIm continuantes, addidit, eamdem certe, si ipse Innocentio III° superfuisset, ultra prolaturus.

(b) f. 2 r. col. 2.

Fratris Godefridi, *Hospitalis Magistri, ad fr. M., Hosp. in Ungaria priori, de Bello Sacro a. d.* MCXCIII *gesto, Epistola* (1).

(c) f. 3 r. col. 1 — f. 42 r. col. 1.

Ricardi S. Victoris *Liber I de Somnio Nabuchodonosor.*

(d) f. 42 r. col. 1 — f. 71 v. col. 2.

Ejusdem Ricardi *Liber II de Somnio Nabuchodonosor.*

(e) f. 72 r. col. 1 — f. 103 r. col. 2.

Ejusdem Ricardi *Tractatus super quosdam Psalmos.*

(f) f. 103 r. col. 1 — f. 104 r. col. 2.

Alphabetum græco-latino-hebraico-chaldaico-ruthenicum.

(g) f. 104 v. col. 1. — f. 107 v. col. 1.

Diaconi Quod-vult-D. *ad S. Augustinum Epistola,* — S. Augustini *Responsum*, — Diaconi *Rescriptum.*

(h) f. 107 v. col. 1 — f. 120 v. col. 2.

S. Augustini *Liber de Hœresibus.*

(k) f. 120 v. col. 2 — f. 124 v. col. 2.

Ejusdem *de Deffinitione dogmatum ecclesiasticorum.*

(l) f. 124 v. col. 2 — f. 141 r. col. 2.

Magistri Gandulphi *Flores sententiarum.*

(m) f. 141 r. col. 2.

Versus vij de Sacramento.

(n) f. 141 r. col. 2 — f. 142 r. col. 1.

Versifice (sic) *de Pontificibus Romanœ Sedis* a Petro ad Cœlestinum III (Hexam. cxxxvj.)

> Inc. : « Si vis Pontifices Romanæ discere sedis...
> Exp.: « Tertius hinc Clemens Cœlestinusque locantur,
> « Heinricus Sextus a quo sumpsit diadema. »

(o) f. 143 r. col. 1 — f. 149 r. col. 2.

Rhythmus noster sub titulo : RITHMUS DE EXPEDITIONE JEROSOLIMITANA.

(1) Cf. *Chron. Aquicinctin.* ap. *SS. RR. Gallic.*, XVII, p. 546.

(p) f. 150 r. col. 1 — f. 154 r. col. 1.

Matthiæ apostoli Passio, Vita et Actus, ex hebraïco versa ab Ambrosio Ansperto.

(q) f. 154 r. col. 2 — f. 164 r. col. 2.

Qualiter Treverim venerit Matthias apostolus, et corpus ejus qualiter inventum sit anno MCXXVII, ***et de miraculis ejus.***

Ad summam, huic codici pro interioribus plagulis (gall. *gardes*) sunt quatuor duplicia folia quæ ipsa extracta esse videntur ex altero codice *quaternione*, quondam discerpto, ut ad magnum codicem illum compaginandum proficerent. De quo autem infra amplius tractabimus.

Ante omnia nobis sit curæ exemplum Rhythmi nostri, quod in foliis 143-149 magni codicis comprehenditur. Cujus exempli litterulæ compositæ et claræ sunt; titulus et capitales litteræ, rubricæ. Scriptum autem, nihilo strophas secernente, dividitur in columnas quæ binos et tricenos versus complectuntur : quæque pagina binas continet columnas. Quod scriptum nobis præbet Rhythmum qualem in vulgus protulit J. Herold; at insuper hic multa sunt addita, emendata, varieque scripta, quæ magnum habent momentum, et de quibus infra dicemus.

Adde quod exemplum illud non amplectitur parvos capitum titulos a J. Herold insertos, et desunt etiam xvij strophæ, scilicet :

1° Strophæ 71-73, 213-224, 79-80, 83, 106-107.
2° Decem ultimæ strophæ, a versu 849 ad versum 896.

Nunc de foliis iv, magno Babenbergensi Codici annexis, dicendum est, ex quibus nempe duo Codicis tegminibus affixa, nil nisi in anteriore tegmine *Orationes* vacuas, **De fragmentis Codici Babenbergensi annexis.**

in posteriore autem *Ecclesiasticum* quemdam *Ordinem*, continent. Sed duo alia, quæ, pergameneo quodam ungulo addito, Codici pro plagulis adjecta sunt, ex discerpto alio, ut supra dictum est, manuscripto quaternione extracta esse videntur. Quod manuscriptum, vacillantibus litteris inscite (ut quædam marginis annotatiuncula declarat « *prava scriptura* ») exaratum, magno Codice certo antiquius erat, non tamen maximo temporis interjacente intervallo; hoc autem exemplare usus est librarius qui magnum codicem scripsit, et qui scriptum oculis propositum imitatione rursus expressit, verbis tantum aliquot transpositis.

Folia autem oculis inspicienti patet: 1° codicem discerptum *eadem eodem ordine disposita*, ac magnum, continuisse; 2° hæcce tantum in fragmentis superesse:

Ungulus.	f. 1 r. v.	Flores sententiarum Mag. Gandulphi.
Plagula ant. magni codicis.	f. 2 r. v.	
	f. 3 r. v.	
Ungulus.	f. 4 v.	
	f. 4 v.	— Rhythmus Pontificalis.
Plagula post. magni codicis.	f. 5 r. col. 1	—Rhythmi Acconensis v. 1-52.
	f. 5 r. col. 1 — v. col. 1	— Ejusd. v. 59-156 (sed fere ad radicem cæsi).
	f. 5 v. col. 2	— Ejusd. v. 157 212.
	f. 7 r. col. 1 — v. col. 2	— Ejusd. v. 445-660.

Rhythmus igitur noster quatuor integra folia occupabat, e quibus primum et tertium, inter se conjuncta, tantum supersunt. Singula vero folia, in columnas bipertita, necnon in tergo scripta, vicenos quaternos et ducenos versus comprehendebant (senos et quinquagenos versus in quaque

columna) (1), ita ut quartum folium discerpti codicis apte erat exiturum per versum 848, qui ultimus quoque exstat in magni codicis exemplare. Quare merito opinaberis nullum aliud folium librario præ manu fuisse, et tertium folium (quod sane continebat in fronte hos quadraginta versus qui, a J. Herold prolati, in magno codice desunt) jam amissum esse tum quum magni codicis exemplar conficeretur. Sic redditur ratio cur quædam maximi momenti in præcipuo codice desiderentur.

Ultima, nec facile explananda, quæstio de fragmento illo oritur. Haud dubium est quin, intermissa haud semel cessatione, scriptum fuerit eadem quidem manu, sed eodem neque calamo, neque atramento exaratum. Principio sunt quædam emendata cum atramento eodem quo inficitur pars extrema operis. Quæ autem fuerunt emendata, ad auctorem certe, non ad librarium, pertinent. Est-ne illud exemplar ipsum manu vel de dicto Rhythmologi scriptum? Inspectis simulacris quæ nunc præbemus, viri magis idonei ad propositam quæstionem respondere poterunt.

Præter Babenbergense manuscriptum, extat etiam poematis fragmentum in codice quodam membranaceo Bibliothecæ Collegii Orielani Oxoniensis (*n°* $\frac{855}{2}$ *fol. Vet. Catal.*) (2) (*n°* II *fol. Nov. Catal.*) (3) qui, in folio majore, ff. clxxviij constat, litterisque ad finem sæculi **De Codice Orielano.**

(1) Principes cujusque columnæ versus lectu difficillimi sunt, quippe qui, a compaginationis vitio, in interioribus foliis magni codicis interpositi latent.

(2) Montfaucon, *Bibl. Bibliothecarum*, col. 1632. Pertz, *Archiv.*, VII, 94. *Catal. mss. Angliæ et Hiberniæ.* (Oxon. 1697.) T. I, p. II, p. 27.

(3) Coxe, *Cod. mss Coll. Oxoniensium.* Oxf. 1852, in-4°, Coll. Oriel, p. 1. Unde in Collegii bibliothecam devenerit iste codex plane ignotum est.

xii pertinentibus, binis columnis, nitidissime exaratus est; qui autem, integer servatus, ista complectitur opuscula:

(a) Isidori Hispalensis *Etymologiarum Libri* xx, præviis *Isidori et Braulionis epistolis mutuis :* f. 1 r. col. 1.

(b) Johannis Regis Indiæ *Epistola ad Emmanuelem Imperatorem. Constantinopol. de Imperio suo :* f. 184 r. col. 1.

(c) *Fabula de Caballo Æneo Laterani posito, sine pelle cum coconia in capite; item, de statuis omnium provinciarum cum tintinnabulis in Capitolio positis, et de templo Cybeles per Bonifacium B. M. V. dedicato :* f. 186 v. col. 1.

(d) *Tetrastichi de Accone Urbe :* f. 187 r. col. 2.

Quod autem ultimum opusculum nostri fragmentum est poematis, quod, titulo quidem nullo, tribus columnis conscriptum (videl. f. 187 r. col. 2 et v. col 1 et 2) a versu 729 incipit et 882 desinit, strophisque tantum xxxviij et dimidia constat, in quibus nil inest aliud quam quod ad res ante Accon, appulsis semel Anglis, gestas, pertinet. Litteræ capitales octo primorum versuum desunt; sed singuli tetrastichi ultimam litteram quatuor versibus communem habent : rubrica nulla addita est, merus vero textus, similiorque Babenbergensi quam deperdito Hieronymiano codici.

III

QUI SIT OPUSCULI AUCTOR?

Quid ex opere ipso deduci possit?

E Rhythmi codicibus qui supersunt fere nihil amplius de Opusculi ætate et auctore posse disci, quam quod ab ipsa typis mandata editione colligatur, manifestum est :

quippe quum absit in Orielano fragmento titulus, et ipsius Babenbergensis codicis titulus communem tantum appellationem præbeat, a librario sane quodam præoccupatam; nec aliud scire nobis datur, nisi (ob ipsam codicis Orielani antiquitatem) poema ante sæculum tertium decimum conditum et exscriptum fuisse. Opus præterea paulo attentius perlegenti, de illius auctore haud immerito concludatur : neque ex Gallia eum fuisse oriundum, neque natum in Palæstina, quo se anno tantum MCLXXXIX (mense septembri) pervenisse declarat. Quum vero multa sigillatim de Italis, de Verona et Ferraria (v. 224) exsequatur, plane apparet eum Italia oriundum fuisse; et judicia de eadem Verona, de Imperatore Friderico et de Germanis (v. 261, 289, 345, 540), eum in partibus Cæsareis stetisse demonstrant. Patet etiam illum rebus narratis oculatum testem adfuisse, et Acconis præsertim obsidioni, a die sept. xxiij, anno MCLXXXIX, qua Conradus de Monteferrato advenerat, usque ad oppugnatam urbem, interfuisse. Conditum autem esse ab eo poema verisimile est, obsidione jam ad finem vergente; neque enim scripserat per totam obsidionis diuturnitatem, si quidem attendimus ad v. 156, quo ipse ait se primo non ita promptum fuisse ad exaranda carmina :

« Non mihi tunc somnia dictabat Parnassus. »

Suspicari haud absurdum narrationem ab eo priorem factam esse, ad diem xj mensis Julii ann. MCXCI tantum productam, qua die tradita urbs erat : quo etiam tempore codex Babenbergensis desinit; postea vero *strophas* duodecim ultimas ceteris accessisse, quibus narratur strages Saracenorum obsidum, a Ricardo Cœur-de-Lion edita.

Hoc vero utique opinari fas est, ipso mense augusto MCXCI, ante diem ejusdem mensis XX, qua Turcorum obsides a Ricardo mortis damnati sunt, conditum fuisse Rhythmum.

Quæ fuerit Johannis Herold opinio?

Auctoris quidem illius, ex Italia profecti, urbisque obsessæ testis, nomen, de quo tacent Babenbergensis et Oxoniensis codices, Herold et Poyssenot ex amisso Hieronimiano codice in lucem protulerunt. De quo talia memorat « *Continuati Belli Sacri* » princeps editio :

I° Ad titulum universum accedit :

« ***Adjecimus de expugnatione urbis Ptolemaïdos Monachi Flo-***
« ***rentini*** Archiepiscopi ***Acconensis Rhythmum.*** »

II° In epistola Heroldi ad Conradum Wescher legimus :

« ***Accipe igitur, Conrade, tesseram hospitalem, Monachi scilicet***
« ***Florentini, Acconensis olim*** Archiepiscopi, ***Rhythmum.*** »

III° In poematis ipsius titulo :

« MONACHI FLORENTINI, ACCONENSIS EPISCOPI, DE RECUPERATA PTOLEMAIDE. »

IV° In *currente* qui dicitur titulo :

« DE EXPUG. ACCONE. MONACH. FLOREN. LIB. »

Quæ indicia ne mutata quidem fuerunt ab iis quorum opera editio posterior prodiit anno MDLX, nisi quod mentio altera cum ipsa ad Conradum epistola sublata est. Judicio igitur cum Philiberti Poyssenot, tum Johannis Herold et Pantaleonis, poema scripserat quidam *nomine* Monachus, Florentinus, et Acconensis Archiepiscopus. Jac. Gretser, qui, desinente sæculo XVI°, Johannis Herold librum usurpavit, nullo modo verbum hoc : « Monachus », communis loco vocabuli habet, sed proprium esse nomen arbitratur : « Exstat, inquit, opusculum, rhythmis « conscriptum, de obsidione et expugnatione Acconis, a

« Monacho Florentino, qui præsens omnia spectavit (1). »

His tamen nisus, Michaud noster non dubitavit Rhythmi auctorem appellare *Florentinum* quemdam nomine, reipsa monachum, Acconensem episcopum (2), de quo breve caput in ejus « *Bibliothèque des Croisades* » legitur (3). Nullus autem videtur Acconensis episcopus, sive Florentini nomine, sive paucissimis notis quas nobis de semetipso tradidit Rhythmi auctor, posse designari. Ea enim series est coævorum Acconensium episcoporum : Quonam laboraverit errore Michaud?

MCLX-MCLXXXIV. *Joscius* excipit *Guillelmum*.

MCLXXXIV-VII. *Rufinus*, pugna apud Tiberiadem occisus (4).

MCLXXXVII-XC. *Anonymus*, incepta jam Acconis obsidione defunctus (5).

MCXC-MCC. *Theobaldus* (6), anno MCC functus (7).

MCC-MCCV. *Johannes II Faïete* (8), de Novioduno (9).

MCCV-XV. *Gualterus I*, de Florentia (10), anno MCCXII (11) fœdus inter Genuenses ac Pisanos ferit.

(1) *Tomus Tertius de Sa Cruce*, t. III, p 3028.

(2) Michaud, *Hist. des Croisades*, II, pp. 420-448.

(3) Id., *Bibliothèque des Croisades*, III, pp. 319-330.

(4) *Chron. Rad. Coggeshale*, (Martène, Amp. Coll., t. v, p. 812).

(5) Rog. de Hoveden, ed. Savile, p. 685.

(6) Sebastiano Paoli, *Codice diplomatico del sacro Ordine Gerosolimitano*, n° 79, p. 79. Cf. Dudik, *Deutsche Ritterordens Munzsammlung*, p. 50.

(7) Rog. de Hoved, ed. Savile, p. 827. Cf. Baluze, *Ep. Inn. III*, p. 261, 397, 509, 599, et Greg. IX, *Decretales*, l. III, t. 29, cap. 5.

(8) *Cronicque* de Robert de Clary (cod. ms. Bib. Reg. Hauniensis, n° 48), f. 100 v., col. 2, et 118 r., col. 1.

(9) *Chronicon* Alberici. ad ann. 1202. Cf. Le Quien, *Oriens Christianus*, III, 1331.

(10) *Instrumentum Translationis Brachii Si Philippi* AA. SS.m. Boll. Maii, I, p. 15-17. Ughellus (*Italia Sacra*, IV, *col.* 1098) pro Gualtero Tedaldum quemdam ponit, de quo nil compertum habemus.

(11) Ughellus, l. c. Cf. Baluze, *Ep. Inn.* III, lib. XV, ep. 164.

MCCXVI-XXVIII. *Jacobus* de Vitriaco (1).

MCCXXVIII-XXX. *Johannes III* de Pruvino (2).

MCCXXX-XLIX. *Radulphus* de Tornaco (3).

MCCL-LIII. *Gualterus II* (4).

MCCLV-LXIII. *Florens*, sive *Florentius*, Romæ anno MCCLV sacratus, Acconem venit ann. MCCLVI, die xxvj mensis Junii (5); Arelatensis archiepiscopus eligitur ann. MCCLX; obit ann. MCCLXVI, die xxvij mensis Maii (6).

Clarum ita est unum modo episcopum obsidioni interfuisse, qui potissimum, ea nondum finita, occubuerit; ex ceteris vero nullum Florentini nomine appellatum esse; ultimumque, dictum Florentem, in Terram Sanctam annis modo LXVI post (diuque codice Orielano jam conscripto) advectum, juvenem admodum futurum fuisse anno MCXC, ut qui jam tunc temporis clericus Acconis exstitisset.

Auctor est Haymarus Monachus.

Desperandum igitur, neque ultra utendum indiciis quæ ab amisso Hieronymiano codice desumpta sunt, utpote a Johanne Herold et Philiberto Poyssenot corruptis, et poema tanquam ab Anonymo conscriptum habebimus?

Imo, Rhythmi auctor pro certo existimandus est (quod etiam probandum suscipimus) non sane Acconensis episcopus, sed *Haymarus Monachus, de Florentia, Archiepiscopus Cæsariensis, postea patriarcha Hierosolymitanus*; quem coævus quidam chronographus (7) vocat « Monachum Tuscum », et de quo non desunt nobis permulta in tempus

(1) Le Quien, *Or. Christ*, l. c.

(2) Le Quien, *Or. Christ.*, l. c.

(3) Le Quien, *Or. Christ.* Cf. Seb. Paoli, nº 217.

(4) Seb. Paoli, nº 219.

(5) *Cont. Gall.* Guill. Tyrii, l. xxxiv, cap. 3 (R. des Hist. des Crois., II, p. 442).

(6) *Gallia Christiana*, I, p. 570.

(7) Guido de Bazochiis, apud Alberici Novi-Monasteriensis *Chronicon*, ad ann. 1154, ed. Leibn. Hanov. 1698, in-4º, p. 324.

illud congruentis historiæ documenta. Probari enim *a priori* potest patriarchæ illius nomen, cum indiciis, in amissi codicis Hieronymiani titulo quondam exstantibus, plane convenire. Ut nos quidem arbitramur, titulus ille non « *de recuperata Ptolemaïde* » inscriptus erat, quæ vocabula nusquam in toto poemate reperias; sed hac ratione, qua ad cujusque folii caput, in mandata typis editione, uno tantum forsan sublato verbo, appositum legimus :

De Expug. Accone. [Archiepiscopi] Monach. Floren. lib.

Johannem Herold ac Philibertum Poyssenot suspicamur duo illa verba *Accone.* et *Archiepiscopi* invita conjunxisse, et ad totius operis titulum adhibuisse, qualem in prima *Continuationis* pagina et in epistola ad Conradum Wescher legimus; proprium autem poematis titulum cum vocabulo « *episcopi* » restitutum esse ab homine quolibet, errata religiose emendante, cui compertum fuerit Acconis nunquam archiepiscopos, semper vero episcopos exstitisse. Hinc in errorem inductum esse nostratem Michaud verisimile est. Quod nisi hac ratione titulum a Johanne Herold et Philiberto Poyssenot editum explanemus, ne tamen absit interpretatio, licet opinari vocabula ista « *Archiepiscopus Acconensis* », ab Hieronymiano codice post nomen Monachi posita, non sine causa quadam fuisse addita : forsan allusisse ea ad Acconensis Canonici dignitatem, qua antea ornatus fuisse videtur patriarcha, ut infra ostendemus; fortasse etiam significatum ita esse, absumpto episcopo *Anonymo*, de quo loquitur Rogerius de Hoveden, Monachum, quamvis archiepiscopum, in crucigerorum castris, et intra obsidionis spatium, Ac-

conensis episcopi munere functum esse. Ita etiam fieri potuit, Hieronymiano codice post ann. MCCLX exscripto (qua ætate Acconensis diœcesis, verbo, ut reipsa jamdudum erat, cum Hierosolymitani patriarchæ officio juncta est), ut librarius illum Monacho titulum tribuerit, qui, ad ejus tantum successores attinens, ipsi tamen, ob domicilium Acconis ann. MCXC sibi constitutum, scriptamque obsidionis historiam, sufficienter potuit assignari. Hoc certe constat, quacunque ratione dirimatur controversia, *vel falso titulo inscriptum esse codicem Hieronymianum, vel, si verum habeamus titulum, auctorem Rhythmi fuisse patriarcham Monachum, neque alium quemquam.* Sed quum duo sint in manu chronographi, et hi quidem Florentini, quorum alter, Rigordanus Malespini (1), annis tantum LXXIX post Monachum obiit (MCCLXXXI), alter, Johannes Villani (2), annis sexaginta post (MCCCXLVIII) scribebat, qui uterque in aliquo historiarum a se scriptarum capite documentum quoddam (3) contraxerunt, de quo infra dicemus (quod valde quidem cum ipsius patriarchæ tempore congruens, factisque ad eum pertinentibus plenum), æque tamen ab utroque vocatur *Acconensis Archiepiscopus.* Appellat eum haud alia ratione Villani : « *Messer Monacho di Firenze*, *Arcivescovo d'Acri* (4). »

(1) Rigordano Malespini, *Istoria Fiorentina*, cap. 64, apud Muratori SS. RR. Ital., VIII, p. 539.

(2) Giovanni Villani, *Istoria Fiorentina*, V, cap. 14, ap. Muratori SS. RR. Ital., XII, p. 138.

(3) *Instr. Translationis Brachii S[i] Philippi* AA. SS[ri]. Boll. Maii, I, p. 15-17.

(4) Prava eadem lectio in Italica Guillelmi Tyrii versione, a Laurentio Florentino a. d. MCCCXLVII conscripta, reperitur : qui, in libri XX cap. 1[o] (a. d. MCLXVI.), mentionem quamdam « Willelmi Acconensis episcopi » recte primum translatam (*Guglielmo vescovo d'Acri*) ipse, addita nota, adulterat (*Arcives-*

Error igitur, si error habendus est, jam a sæculo tertio decimo locum obtinuisse reperitur, et jam tum plane confirmatur eumdem esse patriarcham Monachum, et Florentinum illum Monachum, de quo Poyssenot et Herold olim disserebant. Hoc tamen probandum nunc superesset, titulum a Johanne Herold et Philiberto Poyssenot datum neque a falsis indiciis, neque a librarii errore proficisci; quum vero non jam liceat ad codicem ipsum confugere, quo novam hanc quæstionem discutiamus, nihil restat, nisi ut plane demonstremus Haymari Monachi personam cum singulis quæ de se ipso memoravit Rhythmologus, anonymus poematis scriptor, omnino congruere : quod quidem ipsius Monachi vita satis superque demonstrabit.

IV

VITA HAYMARI MONACHI.

E fontibus admodum variis hauriri potest Monachi vita, inter quos Guillelmus Tyrius, liberque dictus *Estoire de Eracles*, et Guidonis de Bazochiis, coævi auctoris, *Historia Hierosolymitana* (1), necnon *Ordinis Sancti Johannis Hierosolymitani Diplomatarium* (2) et *Sancti Sepulchri Chartularium* (3). Fontium vero præcipuus est De Haymari Monachi vitæ fontibus.

covo d'Acri). — (Cod. ms. Bibl. Laurentianæ, Plut. LXI, n° 45), f. 186 v°, col. 2.

(1) Cujus fragmenta tantum quædam in Alberici Novimonasteriensis *Chronica* (ed. Leibnitz, Hanov., 1695, in-4°) supersunt.

(2) Sebastiano Paoli, *Cod. Diplom. del Sacro Ordine Gerosolimitano*.

(3) *Cartulaire du Saint Sépulcre* (ed. de Rozière, Paris, 1847, in-4°).

documentum illud de quo jam supra diximus, quod eo ipso tempore conditum est, *Instrumentum* scilicet *translati Florentiam brachii B. Philippi Apostoli* (1), quod servatum est in « *l'Archivio dell' Opera secolare di S. Maria del Fiore* », Florentiæ, et reperitur in codice quodam membranaceo, in-4°, quo continentur :

(*A*) Passio Sæ Reparatæ.

(*B*) Legendæ S. S. Zenobii, Eugenii et Crescentii.

(*C*) F. 43 r°. Translatio Brachii S. Philippi (*in Actis Sanctorum Bolland. Maii, t I, p.* 15-17, *typis edita*).

Ex hoc autem documento quod *Archetypon* habemus, a Rigordano Malespini et Johanne Villani, quæcunque de S. Philippi reliquiis narrant, omnino desumpta sunt; ejusque tempus notare haud arduum, quippe quum ipse auctor declaraverit se, jubente Johanne Florentiæ episcopo (MCCV-XXX), scribere, Gualterotto Acconis episcopatum obtinente (MCCV-XVI), vivente quidem cardinali Soffredo, qui anno MCCXI defunctus est, egressoque jam e Florentia Rudolpho de Capraia (MCCVII), urbis *Potestate* : quod igitur scriptum fuisse inter annos MCCVII et MCCXI necesse est. Præmissus est prologus quo profitetur perscriptionis auctor illam se quam maxime ex indiciis a Regniero, Florentino, Sancti Sepulcri priore, datis, composuisse, sequitur de ipsis reliquiis narratio, a Constantinopoli Solymas, et ab Hierosolyma Florentiam translatis, curante patriarcha Monacho, cujus vita singulariter narratur. Jam vero, a primis verbis, aperit auctor *Instrumenti* quid significaverit vocabulum *Monachus* : « Quidam

(1) Quod primum cum ceteris Apostoli istius reliquiis Hierapoli, ubi passus erat Philippus, servatum, et, dein Constantinopolim delatum, scorsum Hierusalem missum erat.

« clericus, inquit, nomine Monachus,... qui, licet *voca-* « *liter Monachus diceretur*, propter morum honestatem « et laudabilem conversationem, *realiter monachus cerne-* « *batur*..., etc. »

Nomen igitur patrium vocabulo illo « Monachus » significari manifestum est; quod italici chronographi *Monaco* (1), et du Préau *Le Moyne* (2), interpretantur; dicitur vero *Moinnes* (3), ab anonymo illo coævo qui Guillelmum Tyrium gallice vertit; nomenque illud in eumdem errorem adducere ignaros potuit ac nomen Petri *Lhermite*, viri primo Bello Sacro insignis; multosque reipsa decepit a sæculo XIII° (4) usque ad Michaud nostrum, quamvis tale nomen haud semel in Palæstina reperiatur, si ad illos « *Monachos* » (5), cives Tyrios, spectamus, neque in Italia rarius sit quam in Gallia nomen *Lemoyne*. Ne loquamur de illo Johanne *Monaco*, qui « *Defensorium Juris* » scripsit, Venetiæ, sæculo quinto decimo, editum (6), neque de alio, qui, dictus *Monaco*, Albanus episcopus sæculo tertio decimo exstitit; aut de alio etiam, intra sæculum quartum decimum episcopo Lesinensi; vel de duobus aliis, insigni e Cusentia gente

De nomine Monachi.

(1) Horologgi (*Guil. Tyrii Vers. Italica*), Ven., 1562, in-4°, p. 669. Cf. *Art de vérifier les dates*, I, p. 299; Ammirato, *Istorie Fiorentine*, Flor., 1647, p. 62.

(2) Gabriel du Préau (*Guil. Tyrii Vers. Gallica*), p. 565.

(3) « L'eslit de Cesaire qui avait « nom *Moinnes* » (*Guil. Tyr.*, *Vers. Gallica*, l. XXII, cap. 7), sicut legitur in omnibus manuscriptis Parisiensibus, non vero *Morisces*, prout prave legitur in impresso textu. (*Recueil des Hist. des Croisades*, I, p. 1073.)

(4) In Lugdunensi manuscripto *Gallicæ Continuationis Guillelmi Tyrii* legitur: « Li chanoine dou « sepulcre firent postulacion « d'*un moine* qui estoit arceves- « ques de Cesaire. » (*Recueil des Hist. des Croisades*, II, p. 205, var. D.)

(5) Sebastiano Paoli, n°s 23, 166, 193, et p. 482.

(6) Hain, *Repert. Bibliog.*, II, 424.

ortis et sæculo sexto decimo Marturanis (1) episcopis; neque de Laurentio de *Monacis*, summo Cretæ cancellario, qui *Venetianam Historiam* et carmen scripsit de *Carolo rege Hungariæ* (2); denique de theologis quinque qui in Italia sæculo septimo decimo viguerunt (3): nonne insuper Pisæ *Monachum* quemdam, Sardiniæ Vice-comitem, ann. MCCXXXVIII florentem, videmus (4); Florentiæ etiam, ann. MCCLXIV, *Monachum* quemdam *de Lambertis*, de Parochia S. Andreæ (5); ann. MCCCXLII poetam Ventura *Monaco* (6); anno MCCCXLIII Bonaventuram *Monaco* (7) notarium; anno MCCCLXVI quemdam Nicolaum *Monaco*, Dominii Cancellarium (8); anno MCCCLXIX Nicolaum *Monaco* syndicum (9); gentemque demum ex illustrissimis in civitate, ac nomine « *Monaci* » (10) distinctam? Ex istane oriundus erat patriarcha, cujus nepos, ut infra dicetur, ab Henrico, comite Campaniæ, eques factus est (11)? Hoc quidem affirmare non ausim; eum autem

(1) Ughellus, *Italia sacra*, ed. Coleti, IV, 287; VIII, 313; IX, 283.

(2) Montfaucon, *Bibl. Bibl.*, p. 482. Cf. Pottast, *Bibl. hist. Med. Ævi*, p. 414.

(3) *Cat. Ms. Bibl. Cæs. Paris*, ad vocem *Monaco*. Cf. Jöcher, *Allg. Gelehrte Lexicon*, III, p. 605, 1751, 607; Sander. *Bibl. Belgica*, I, 301; Le Long, *Biblioth. Hist de la France*, nº 14080, I, p. 861.

(4) Lami, *Ecclesiæ Florentinæ Monumenta*, Flor., 1759, in-fol., d. 477. Cf. *Librum Chartarum Genuensium*, pp. 208, 220, 237, 311, 1031, 1271, 1604.

(5) Lami, *Ecclesiæ Florentinæ Monumenta*, p. 975, 977.

(6) Bibl. Laurentiana Florentina; Plut. XIII, nº 38. Ammirato, I. p. 448.

(7) Gamurrini, *Famiglie della Toscana*. t. V, 353. Ammirato, *Istorie Fiorentine*, I, p. 382, 472.

(8) Ammirato, I, p. 654, 656, 692.

(9) Lami, *Ecclesiæ Fiorentinæ Monumenta*, p. 460.

(10) Gamurrini II, 328. Erat quoque in urbe Udina nobilis quædam gens eodem nomine ornata. (Tettoni, *Teatro Araldico*, III, præf.)

(11) *Est. de Eracles*, XXVI, cap. 19. (R. des Hist. des Crois., II, p. 204.)

ait Rigordanus Malespini a domo dicta *Corbizzi* oriundum, quæ inter tres civitatis hujus (1) antiquissimas habebatur, nomine Corbizzi, Davizzi et Altoviti, scutoque (2) Squarccialupi pariter insignitas, et ab equitibus fabulosis, Ricomano et Davizo Carbizzi, Caroli Magni ætate, ut fama erat, profectas (3). Prænomen vero patriarchæ a Gallico quodam anonymo Guillelmi Tyrii (4) *continuatore* exhibetur : nempe vocabatur « *Heimer* » (5), quod latine vertitur *Haymarus*, et sæpe ita in S. Sepulchri Chartulario repetitur; Itali autem dicunt « *Aimaro* », vel « *Amerigo* » (6). Nomen igitur Patriarchæ vulgari sermone sic completum habebatur : « *Amerigo Monaco dei Corbizzi.* »

(1) Gamurrini, I, 447; III, 225 (*Genealogia della Fioreia*). Cf. Verinum, *De Illustratione Urbis Florentiæ*, Paris, Estienne, 1583, in-fol., p. 22.

Tres quoque venerunt proles sub [Othone secundo.
Idem sanguis erat, dispar nec originis [author
Corbicus, et Thusci decus Altovita [leonis.
Quique sua dextra fregit rapida ora [luporum,
Unde insigne Lupi nomenque accepit [ab illo.

(2) Argenteus lupus in atro, (*gall.*) *de sable à un loup ravissant d'argent*. Vinc. Borghini, *De Familiis Florent*, II, p. 40, 66. Santa-Pietra, *Tesseræ Gentilitiæ*, p. 177, 364. Monachi autem nostri nulla supersunt nec sigilla nec monetæ.

(3) Gamurrini, l. c.; Rigordano Malespini, cap. 53, apud Muratori SS. RR. Ital., VII, p. 917.

(4) Lugdunense Manuscriptum jam memoratum quod sub titulo « Variante D » *Gallicæ Guill. Tyrii Continuationi* subjungitur in *Recueil des Historiens des Croisades*, t. II, 242.

(5) Idem nomen *Haymer*, Cæsariensi alii archiepiscopo, Ernesio scilicet, ex Constantinopoli cum regina Maria Comnena et Brachio S. Philippi a. d. MCXLVII redeunti, a Balduino Avennensi datum esse comperimus. (*Baudouin d'Avesnes*, c. 164.) (Codd. mmss. Bibl. Cæs. Par.; St G., n° 84, f. 217 et 660, f. 230.)

(6) Sic Laurentius Florentinus, eodem ac Balduinus Avennensis errore laborans, Ernesium eumdem in eodem loco appellat. (Cod. ms. Bibl. Laurent.; Plut., LXI n° 44, f. 186.)

Haymari Monachi initia.

Si quidem anonymo *Instrumenti* auctori fidem aliquam adhibemus, Haymarus ille Monachus, Florentia oriundus, magister erat, necnon clericus, et forsan canonicus in Florentina S. Joh. Baptistæ Ecclesia; virque ab eo valde doctus habetur : « Hic, inquit, a primo juventutis flore fuit liberalibus artibus eruditus, et postmodum in Sacræ Scripturæ mysteriis, jure canonico et physicali scientia præpollebat. » Regnante porro Imperatore Manuele (ann. MCXLIII-MCLXXXIII), Hierosolymam religionis causa migravit (1); necnon fieri potuit ut, paulo post adventum, canonicus Acconensis ecclesiæ sanctæ Cruci dicatæ (2) eligeretur, simulque, a patriarcha Hierosolymitano, Amalrico de Nesle, Sancti Sepulchri cancellarius nominaretur (3). Jam quidem anno MCLXVIII occurrit *Amalricus* quidam, cancellarius (4), testis assumptus de duobus decretis quibus patriarcha ecclesiis Neapolis et S. Nicolai ad Joppem extra muros, peculiaria jura donabat. Hunc fuisse nostrum Monachum non plane certum est; sed pactioni ann. MCLXXI inter Bernardum, episcopum Liddæ, ac Petrum, priorem S. Sepulchri, factæ (5). videmus adfuisse « *Magistrum Monachum*, *Domini Patriarchæ Cancellarium* », qui unus e sequestris, inter episcopum et priorem interpositis, erat. Eumdem eodem iterum titulo insignitum reperimus, testisque munere fungentem, primo in arbitratu (6) inter

(1) Forsan ex Constantinopoli, cum Cæsariensi archiepiscopo Ernesio et Odone de S. Amando : unde et Balduini Avennensis supra memoratus error, et in posterum vivida Monachi de reliquiis S. Philippi cura.

(2) Seb. Paoli, nº 59, t. I, p. 59.

(3) « Quare patriarcha Hierosolymitanus illum in suum « elegerat cancellarium. » (*Inst. transl. Brach. S. Philippi*, l. c.)

(4) *Chart. S Sepulchri*, nᵒˢ 160, 161, p. 289.

(5) *Chart. S.Sepulchri*, nº 181, p. 322.

(6) *Chart. S.Sepulchri*, nº 143, p. 261.

S. Sepulchri canonicos et monachos « de Latina », deinde de facta inter Bernardum, priorem Ecclesiæ Ascensionis, et Equites Hospitalis, mutatione (1), quibus actis adfuit Guillelmus, episcopus Acconensis (sept. MCLXVII — jan. MCLXXI) (2), ob eam causam inter annos MCLXVII-LXXI ponendis. Anno denique MCLXXVII condonationem aliquam Amalrici patriarchæ prescribit (3). Quæ Cancellarii munia obivit ad annum usque MCLXXXI, cunctis valde approbantibus : « ejus providentia sedes patriarchalis « honestius regebatur (4). »

Anno salutis MCLXXX, Eraclius, Cæsariensis archiepiscopus, cujus adeo fœda fama fuit ut de eo publice diceretur : « sub Eraclio amittendam esse crucem, sicut sub « Heraclio imperatore recuperata fuerat (5), » patriarcha Hierosolymitanus eligitur. Capitulum tunc Cæsariense, postquam tempus aliquod vacasset Ecclesia, Monachum Archiepiscopum elegit (6), qui tamen Cancellarii munus simul videtur retinuisse. Jam ab anno MCLXXXI, priusquam vel a Summo Pontifice confirmatus fuisset, Monachus, simul ac Bethleemensis episcopus, ob famam qua inter prudentissimos religiosissimosque regni præsules jam

Haymarus Monachus, Cæsariensis Archiepiscopus.

(1) Sebast Paoli, n° 188, t. I, p, 234. Quod alterum instrumentum post prius ponendum esse videtur, quippe cui Bernardus, Lyddensis episcopus (1169-1178), testis adsit.

(2) Guillelmus enim, ipso anno 1171, mense januario, cum Amalrico rege Palæstinam reliquit, Constantinopolim iturus atque inde nunquam reversurus.

(3) *Chart. S. Sepulchri*, n° 168, pp. 305-307.

(4) *Instr. Transl.*, l. c.

(5) *Est. de Eracles*, l. XXIII, cap. 38 (Hist. des Croisades, II, p. 57). Marinus Sanutus, *Secr. Fid. crucis*, l. III, p. VI, cap. 24 (Bongars, II, p. 172). Quæ fama adeo in vulgi sermonibus crevit, ut paulo post coævi gallici poetæ eumdem Eraclium Godefrido de Bullione venenum impinxisse finxerint. Cf. *Roman de Godefroy de Bouillon*, III, p. 83 ; *Eraclius*, ed. Massmann, p. 432.

(6) *Instr. Transl.*, l. c.

tunc eminebat, eligitur (1) ut Antiochiam eat, comes futurus regi et patriarchæ, qui discordias inter Bohemundum III, Antiochiæ principem, et clerum ejus provinciæ, componendas susceperant. Anno sequenti (MCLXXXII, die xiij^a novembris), Cæsaream redux, ibi testis adest actis duobus, quorum prius (2) edit rex Balduinus IV, dum Gualterio Cæsariensi jus facit Equitibus Hospitalis vendendi casale de *Galilea*, in dominio Acconensi situm; alterum (3) autem ipse Gualterius scribit, venditionem hanc sanciturus. Sequentibus quidem annis, de Monacho nihil certe videmus; hoc tamen suspicari licet, eum, ut erat Cæsariensis Archiepiscopus, jam regni rebus interfuisse, et conciliis assedisse quæ tunc habita sunt : ei nempe quod ann. MCLXXXIII, mense februario, Hierosolymam coactum (4), subsidia statuit extraordinaria bello contra Salahadinum gerendo; anno deinde eodem (5) (nov.), quum Regni principes, quis Balduinum IV fere jam moriturum excepturus foret, sanxerunt; necnon concilio adfuit, Acconis ann. MCLXXXIV acto, quo præsules ac barones frustra Balduinum IV et Guidonem de Lusignan reconciliandos suscepere, decretumque est patriarcham Eraclium ad Occidentis principes mittendum, qui christianorum opes auxilio flagitaret (6). Una vero

(1) Guil, Tyr., l. XXII, cap. 7 (Hist. des Crois., I, p. 1073).

(2) Sebast. Paoli, n° 72, t. I, p. 72.

(3) Sebast. Paoli, n° 71, t. I. p. 71.

(4) « Subsequente februario, « convenerunt Regni principes « universi apud Hierosolymam, « de rerum statu qui præsens « erat consilium habituri. » Guil. Tyr, l. XXII, cap. 22 (Hist. des Crois., I, p. 1109).

(5) « Et devant ce que il (Bal- « duin) morust, manda il toz sez « homes, que il venissent à lui « en Jerusalem; e il vindrent « tuit. » *Est. de Eracles*, l. XXIII, cap. 6 (Hist. des Crois., II, p 9).

(6) « Il fist semondre illuec « (Acre) un grand parlement de « toz les prelaz e les barons...

inter plurimas Guillelmi Tyrii Continuationes, ea nempe cui titulus : « *Estoire d'Outremer et de la naissance Salehadin* » (1), nos omnino certos facit Monachum cœtui etiam alii adfuisse, qui Neapoli anno seq. (sept. MCLXXXVI) habitus est, quum, mortuo in cunis rege Balduino V, mater ejus Sibylla, nullo respectu habito supremæ Balduini IV voluntatis, necdum, ut ita dicam, refrigeratis regii infantis cineribus, eo potissimum tempore quo Tripolitanus comes, regni bajulus, præsulesque ac barones de eligendo Balduini V successore consulerent, se mater, inquam, regnum sibi palam conjugique adeptura, cum patruo Josselino de Courtenay, cum Raynaldo de Châtillon, Willelmo Marchione de Monteferrati, Eraclio Patriarcha, et Terrico Templi Magistro, intra Hierosolymæ mœnia includeret. E codice igitur supra dicto discimus Sibyllam baronibus mandavisse ut Solymas convenirent, vassalitii obsequio erga ipsam functuri; hos autem, conscripta intercessione, se illi obtemperaturos negavisse, donec abesset decretum Summi Pontificis, Cæsarisque, et Galliæ ac Angliæ regum, quos Balduinus IV successionis tradendæ arbitros instituisset Monachum et duos a Cisterciensi ordine abbates, quibus commissa est intercessio ad Sibyllam deferenda, comitati sunt Johannes II de Bellesme, comes de Alençon, et Guillelmus le Queux, dominus S[t] Bertini (2). Ubi vero Solymas devenere legati, omnia tantumnon peracta invenerunt : nempe Eraclius patriarcha, quem Sibyllæ mater ad hunc locum evexerat, se jam ad imponendum noxiis capitibus insigne

« pour envoyer messaiges outre-« mer. » *Estoire de Eracles*, l. XXIII, cap. 1 (Hist. des Crois , I, p. 1110).

(1) Codd. mmss. Bibl. Cæs. Paris., n° 7188 $\frac{5}{3}$ (f. 348 r° et seq.) et n° $\frac{435}{12203}$ (f. 1 et seq.).

(2) *Estoire de Eracles*, l. XXIII, cap. 17. (Hist. des Crois., II, p. 28).

regium accingebat; necnon Terricus, Summus Templi Magister, qui capitale odium adversus comitem Tripolitanum fovebat, ærarii Sepulchro inclusi, cujus servandis clavibus præerat, aperuerat portam, et e coronis, quæ ibi detinebantur, pulcherrimam Sybillæ tradiderat. Patriarcham autem Monachus de baronum decretis certiorem fecit, minatusque illi provocationem ad Summum Pontificem, vetuit eum quidquam agere priusquam arbitri litem diremissent. Hic, quum archiepiscopi admonitionibus aurem præbere noluisset, quinetiam, exspectaturum se omnino negavisset, abierunt necessario legati, re infecta, patriarchæ responsum ad barones relaturi. Nec, quamvis omni ope huic cœpto resisteret, ulla ratione Rogerius de Molinis, Summus Hospitalis Magister, prohibere potuit quin, paucis post diebus, Sibylla palam solio potiretur (die veneris, sept. xix, MCLXXXVI). Unde apparet, quanquam in hoc tempore commissa illi res non adeo bene successerat, quæ fuerit jam tum apud regni proceres, Monachi nostri auctoritas. Imo, sequenti anno, rex ipse Guido eum ad se cum ceteris Archiepiscopis vocavit, ut ab eo consilia illa, quæ Sibylla spreverat, flagitaret. Nempe in eo erat Terra Sancta ut calamitate insigni obrueretur, quippe quum Salahadinus, baronum usus discordiis, regnum pararet invadere. Tum, periculo instante, novus rex Guido, confestim Hierosolymam (die xxx[a] mart. MCLXXXVII) totius regni archiepiscopos episcoposque (1), quid agendum esset consulturos, advocat; verisimile autem est Mona-

(1) « Lors oï dire le roi Gui « que Salahadin assembloit ses « ost por entrer en sa terre... « Si manda les arcevesques, les « evesques, qu'ils venissent à lui « en Jerusalem. Quand ils furent « venus, si lor demanda conseil « qu'il feroit de Salahadin qui as- « sembloit ses ost por venir sus « lui, etc. » *Est. de Eracles*, l. XXIII, c. 23 (Hist. des Crois., II, p. 36).

chum, qui sane, præcedenti anno, ex iis fuerat qui regi Guidoni Accone (1) morem publice gesserant, huic iterum concilio assedisse, quod quidem regem cum baronibus imprimisque cum Tripolitano comite reconciliavit, nulla vero ratione iteratas assidue christianorum clades antevenire potuit. Prælio ad Tiberiadem (xiij aprilis) profligatus captusque, amisit rex Guido Cæsaream circa diem xv jul. (2), Solymasque die ij octobris. Prælione illi adfuit Monachus, an Hierosolymæ cum regina et Johanne de Ibelino atque Eraclio patriarcha remanserat? Nonne fieri potuit ut, hujus monitis obsecutus, ad flagitanda auxilia, paulo post Occidentem petierit, simul atque Valeniæ et Cabilonis episcopi Angliam ab Aymaro, Antiochiæ patriarcha (3), Guillelmusque II, Tyrius archiepiscopus, ab Hierosolymitano patriarcha (4) mitterentur? An potius, dimisso Hierosolymæ concilio, Cæsaream regressus erat, unde mox, adventante Salahadino, qui paulo post, mense scilicet julio ad finem vergente, urbem cepit incolasque omnes trucidavit (5), profugeret? Hoc

(1) « Li rois fist semondre « Baudouin d'Ybelin et les autres « barons de venir tenir un par- « lement à Acre, e ils vindrent. » *Estoire de Eracles*, XXIII, cap. 19 (Hist. des Crois., II, p. 33).

(2) Bohadinus, *Vita Salahadini*, ed. Schultens, p. 71. Abulfarage, ed. Pococke, p. 273. Cf. Abulfeda, Ibn el-Athir. (*Histor. arabes des Croisades*, pp. 60, 689.)

(3) Aimerici, Antiocheni patriarchæ, *Epistolæ ad Henricum regem Angliæ*, ap. Baron., *Ann. Eccles.*, ann. 1187, n° 5.

(4) Guillelmus II Provincialis, qui Guillelmum I Historicum proximus excepisse videtur (?)

(5) Michael Syriacus (apud Petermann, *Beitr. z. d. Gesch. der Kreuzzüge aus Arm. Quellen*, p. 148), qui plane congruit cum *Epistola* quadam inedita Wilhelmi episcopi, *de Captione Hierusalem*. (Bibl. Univ. Hauniensis, cod. Arn.-Magnæanus, n° 261, in-4°.). Rad. de Coggheshale, *Chron. Terræ Sanctæ*, cap. 12 (Martène, Amp. Coll., v, p. 369), qui Cæsaream, a Saphadino, non autem a Salahadino captam fuisse asserit, in hoc loco cum arabicis

certe compertum habemus, eum jam mense octobri Tyrum cessisse, ubi solemni cuidam adfuit acto, quo Hierosolymitani regni barones Januensibus libertatem commercii concedebant (1), atque paulo post a marchione Conrado de Monteferrato, nuper in auxilium appulso, benigne acceptus et ejus consiliis admissus est; statim fere, atque eodem certe mense, videmus Marchionem, rogante Monacho, Pisanis, qui Archiepiscopi tantumnon cives erant, commoda illis a Raymundo, Tyri comite, concessa, a se ipso sancita (2), aliis insuper additis privilegiis (3), condonare. Tunc vero Monachus, ait anonymus Instrumenti auctor, « patrimonio ecclesiastico spoliatus, ad propria « rediit, et Florentiæ fuit quasi per biennium » (4). Inde, auditis christianorum victoriis, quum ipse, sane egregia Clementis III voce, quæ totam Italiam Terræ Sanctæ auxilio mittebat, commoveretur, redeundum sibi esse in Palæstinam decernit, Acconemque revertitur (5). Minime igitur dubium est eum ibi, jam incepta obsidione, versatum esse. Ceterum, obsidioni adfuisse Monachum plane comprobatum est. Nempe, dum oppugnaretur Acco, defunctus est Gualterius II Grenier, dominus Cæsareæ (6), cujus testamento conscribendo præfuit Mona-

chronographis minime congruit. Cf. Rogerium de Hoveden, ed. Savile, p. 560; Bened. Petroburg, ed. Hearne, p. 488.

(1) *Liber Jur. Reip. Genuensis* (Monumenta Hist. Patriæ, p. 346, 347).

(2) Ughellus. *Italia sacra*, III, col. 487. Cf. IV, col. 1097.

(3) Dal Borgo, *Diplomi Pisani*, p. 96.

(4) *Instrum. Transl.*, l. c.

(5) Habuit propositum revertendi, transfretavit domum et rediit Accon. (*Instr. Transl.* AA. SS. Maii, p. 16.)

(6) « Gauthier fu occis ou re« couvrer d'Acre. » *Lignaiges d'outremer*, cap. XIX bis (*Assises de Jérusalem*, II, p. 456). Cf. Ducange, *Hist. des Princip. d'outremer* (Ms. Bibl. Cæs. Paris, n° $\frac{1224}{9495}$), qui Gualterium II,

chus, ut manifestum est ex tabulis postea scriptis, quibus Juliana Grenier, soror Gualterii, et Cæsareæ domina, fratris testamentum, hodie quidem amissum, ratum habet (1) (xxiij oct. MCXCVII). Utrum, Accone a Christianis recuperata, die xj Julii MCXCI, Cæsareaque a Ricardo Cœur-de-Lion mense sept. ejusdem anni ex integro instaurata (2), atque per fœdus cum Salahadino pactum (3) (x aug.-I sept. MCXCII), prioribus dominis restituta, Monachus etiam sedem archiepiscopalem rursus occupaverit, necne; quamvis testimonio de hac re certo careamus, tamen dubium haud esse potest Cæsaream illum revertisse.

Haymarus Monachus patriarcha Hierosolymitanus eligitur, et cum Henrico, comite Campaniæ, contendit.

Interim, Eraclio patriarcha defuncto (4), munus patriarchale, quod nil jam nisi vana dignitas erat, ad plures vicissim præsules delatum fuisse videtur; eliguntur scilicet ex ordine : quidam nomine *Sulpitius;* post hunc *Cyrillus*, Carmelis prior; forsan inde Bethleemensis episcopus, *Albertus I*, quem nonnulli eumdem ac Albertum II de Castelgauthier, bis ita hanc sedem obtinentem, falso putaverunt (5); deinde *Radulphus*, II aug. MCXCII « nuper « electus », et in Joppe a Salahadino obsessus, posteaque

Julianæ fratrem, hic unum ac eumdem facit ac Gualterium III, Cypri comestabulum. Cf. Seb. Paoli, I, p. 453.

(1) Sebast. Paoli, nº 83, I, p. 89.

(2) Bened. Petroburg., ed. Hearne, p. 677. — Guill. Parvus, l. IV, cap. 23, ed. Engl. Hist. Soc., II, p. 70.

(3) Bern. Thesaur., ed. Guizot, p. 89.

(4) « A. D. 1191, dum Accon obsideretur » (Brompton, Bened. Petrob.), sed rectius, urbe jam capta, « en cel temps que le « conte Henri tenoit la seignorie « d'Acre. » *Man. Lugd.* (Hist. des Crois., II, p. 203, var. D.), quod cum *Itin. Ricardi*, l. I, cap. 63, ed. Stubbs., p. 121, conferas.

(5) Le Quien, *Oriens christ.*, III, p. 1251. Sebast. Paoli, I, p. 130. *Art de vérifier les dates*, I, p. 297. *AA. SS. Boll.*, Maii III, p. LI., Apr., I, p 769-802.

ut obses retentus (1); denique, defuncto Radulpho, (MCXCIII) *Michael de Corbeil*, Parisiensis decanus. Ille demum tale munus acceperat, quum, mense martis MCXCIV, Senonensis archiepiscopus designatus, patriarchæ officium, in longinqua regione exsequendum, repudiavit (2). Tunc vero, tot repulsis subinde acceptis, Sancti Sepulchri Canonicis placuit syrium præsulem indicare; Cæsariensem igitur archiepiscopum, Monachum scilicet, proposuerunt (3); quanquam nonnihil confirmandæ huic optioni obstitit : nempe Campaniæ comes, Henricus, imperium tunc Hierosolymitanum regebat, qui, nondum diademate palam ornatus nec regio nomine insignitus, regiam tamen prærogativam sibi vindicabat. Cui vivide resistebat Amalricus de Lusignan, regis Guidonis frater, et regni Hierosolymitani comestabilis : hunc frustra Henricus officio pellere tentaverat, illoque potissimum anno palam adversus eum de Pisanis, sibi male, ei contra bene acceptis, bellum gesserat (4). Quanam ratione Monachi electio illis principum litibus adeo immixta fuerit, ut aliquis ejus ætatis auctor perhibeat inde tantummodo dis-

(1) *Itiner. Ricardi*, l. VI, cap. 13, ed. Stubbs, p. 403. Oliv. Scholast., *Hist. R. Terræ Sanctæ*, cap. 62 (Eccard, II 1393). Nicolaus Trivet, ed. Engl. Hist. Soc., p. 140. Sicardus Cremonensis, ap. Muratori, VII, p. 618.

(2) « Magister Michael, deca- « nus Pariensis, vir theologus « et religiosus, in Patriarcham « Hierosolymitanum est electus, « sed, antequam illud iter arri- « peret, factus est Senonensis « archiepiscopus. » (Alb. Novim. *Chronicon*, p. 403.) Cf. Baluze, *Miscell.*, II, p. 242; Galfridi de Corlone, *Chron. Senonense*, f° 135 v°. (Hist. litt. de la France, XXI, p. 13.)

(3) *Instr. Transl.*, l. c. *Est. de Eracles*, XXVI, cap. 29 (Hist. des Crois., II, p. 203)., var. D. Alb. Novim. *Chronicon* ad ann., 1134. Theod. Pauli in *Patriarch. Hierosol. Hist. Chronolog.*, ap. AA. SS. Boll. Maii III, p. XLI.

(4) Mas Latrie, *Hist. de Chypre*, I, 52.

cordias inter Henricum et Amalricum ortas, imo eam fuisse causam quæ hunc præcipiti fuga Cyprum petere coegerit (1), explanare nobis perdifficile videtur. Ita quidem (ut supra memoratum Guillelmi Tyrii gallice continuati Lugdunense nos docet manuscriptum) se res habuit : Monachum Canonici tantum elegerant, neque Comitem de optione certiorem fecerant. Tunc vero, sive quod Monachus cum Amalrico steterat, Pisanisque favebat, quos ann. MCLXXXVII exceptione a Conrado concessa donaverat, sive quod Henrico magis placebat præsul Gallicus quam Italus jamdudum Syriæ habitator, quidquid est, prærogativa ille regia uti voluit, quam infitiabantur canonici, tale jus ad privatum Acconis dominum, necdum insignibus regiis ornatum, nulla ratione attinere profitentes. Vetere, ut videtur, ex more, primo mane eligendus erat patriarcha : nomina duo « ad aurem regis » proferebantur, cui, antequam advesperasceret, confirmanda vel recusanda erat electio; « ita, ait chronographus, apostolos, Judæ successorem Matthiam eligentes, imitabantur canonici; — rex « autem sortis vice fungebatur quæ inter Matthiam et Josephum judicavit » (2). Iratus ergo quod sibi hoc jure uti non licuisset, Henricus arripi canonicos jubet, deinde objurgat eos, minaturque se illos in mare immersurum, postremoque omnes in carcerem conjicit. Permagna fuit facinoris invidia : tum Joscius, Tyri archiepiscopus, cetérique regni principes, Henricum adeunt, docentque quan-

(1) *Est. de Eracles* (Hist. des Croisades, p. 212, var. D).

(2) Greg. IX, *Decretales*, l. I, t. 6, cap. 14. Cf. Bern. Thesaur., ed. Guizot, p. 81, et Armain. Mstum, n° 677, f. 212, col. 2. Cf quoque. *Est de Eracles*, XXIII, cap. 38 (Hist. des Croisades, II, p. 159), quæ hæc omnia de patriarchali electione de Monacho ad Eraclium transferunt.

tum scelus admiserit, quantum ei periculum a curia Romana immineat, quam insuper inimicitiam patriarchæ, postquam hic sede potitus fuerit, in se contracturus sit, orantque eum ut canonicos dimittat, et gratiam sibi Monachi reconciliet. Quod consilium comes secutus, ait continuati Guillelmi Tyrii auctor, pacem cum Monacho fecit, nepotemque patriarchæ, nomine Gratianum, equitis armis induit, dono insuper datis casali de Quafarbole (1), ad Acconem sito, et quingentis bysantiis aureis. Canonici vero, quibus parum id erat, Romam ire, rem integram ad pontificem Cœlestinum III deferre, qui comitem injuria egisse decrevit, optionemque canonicorum approbavit : hinc ad patriarcham pallium, ad comitem grave pontificis, quo intra juris fines cohiberetur, edictum (2), aliamque tandem chartam privilegia sua confirmantem (3), reportaverunt. Ad hunc usque locum nihil obscuri invenimus in Monachi vitæ historia; sed paulo infra, ipse illius « *Continuationis* » auctor, eo quidem tempore quo ait ob electum Monachum litigasse Henricum et Amalricum, ibi potissimum asserit Henricum, non Amalricum, Monacho favisse (4). Primo quidem arbitrari liceat mendam hic esse librarii, qui, versa vice, vocabula « *Conte Henry* » et « *Conestable*

(1) *Quafarbole* (Kafer Bâl?), hodie forsan *Kefr Abilin*, super viam quæ de Accone ad Hierosolymam tendit, aut *Kefr Kabul*, oppidum, Acconem inter et Canam Galileæ situm (Robinson, *Palæstina*, II, p. 105; III, p. 88); sed nequit esse *Kefr Ba'al*, quippe quod oppidulum juxta Byblon stat urbem. (Ritter, XVII, p. 568.)

(2) *Est. de Eracles* (R. des Hist. des Crois., II, p. 402-403, var. D). Greg. IX, *Decretales*, l. I, t. 6, cap. 14.

(3) *Chart. S. Sepulchri*, n° 128, p. 233.

(4) « Car ensi come l'on dit « que le conte Henri maintenoit « Heïmer qui estoit elit à pa« triarche, par laquelle chose « le rey Heymeri ne s'en parti « mie dou reiaume à la bone « volonté du conte. » (*Est. de Eracles*, l. c.)

Heimery » mutaverit. Sed quum, tertio post anno, ex litteris Innocentii III, die XXIII decembr. MCXCVIII scriptis, et Monachum graviter increpantibus (1) (functus erat vita comes Henricus anno præcedenti), compertum habeamus ipsum patriarcham inimicitias aperte cum Joscio, Tyri archiepiscopo, exercuisse, qui Monachum tamen contra Henricum tutatus erat, quum illum Monachus prohibere voluisset ne Cyprum navigaret (2) nuptiasque inter Amalricum et Sibyllam pararet, quibus hic solium Hierosolymitanum conscenderet (3); quum denique patriarcha ira in conjuges, nondum nuptos, sicut decennio antea in Sybillam et Guidonem, detonaret, quid mirum si adeo bene inter se reconciliati sint Monachus et comes Henricus (præsertim quum Pisanis hic satisfecisset) (4), ut ille Amalrici partes subito deseruerit? Ita etiam plane intelligi possit qua ratione, defuncto Henrico, Monachus Amalricum, cujus beneficia oblitus esset amicitiamque repudiasset, uxorem ducere et regem fieri præ metu noluerit, omnique ope ac via prohibuerit. Ceterum verisimile est Amalricum, cujus nuptiæ, ob arctiora cum uxore propinquitatis vin-

(1) Inn. III *Epistolæ*, l. I, ep. 578; ed. Migne, I, p. 477.

(2) « Recepimus enim litteras « illas quas in derogationem fa« mæ venerabilis fratris nostri « Tyrensis episcopi edere, ac in « quibus personam ipsius turpi« ter depingere voluisti, quia « non expetita a te licentia na« vigarat Cyprum. » (*Epistola* supra citata.)

(3) « Cum idem archiepisco« pus.... Americum tunc Cypri « regem illustrem, ad charis« simæ in Christo filiæ nostræ « Jerosolymitanæ reginæ conju« gium, Jerosolymitanique re« gni regimen, de consilio et vo« luntate fere totius christiani « exercitus, evocasset. » (Id., id.)

(4) « Et le conte Henri... s'a« corda aux Pisans, et entrerent « en Acre, et lor donna le ban et le « for. » *Cont. Guil. Tyr. manusc.* (Bibl. Laur. Flor.; Plut. LXI, n° 10.) Cf. Mas Latrie, *Hist. de Chypre*, III, 596.

cula, non sine controversia fieri poterant, quum eas cito celebrari, utilitatis suæ causa, cuperet, leges quaslibet a Monacho dictas, quo hujus impetraret patrocinium, accepisse, ambosque ita inter se fuisse reconciliatos. Utcumque est, dubio caret patriarcham sua sponte regem reginamque coronasse, obstricto quidem Amalrico ad jusjurandum quod etiam nunc habemus in charta (1). Destitutus vero Tyri archiepiscopus ad Summum Pontificem frustra querimonias detulit; nam Innocentii III[i] responsum, de quo supra diximus, sero advenit, et ab hoc tempore, quod restat, videntur rex et patriarcha inter se amicissime conjuncti fuisse : nempe anno MCCI (mense martio) (2), Amalricus Monachum ejusque successores casali de Pendekio (3) in insula Cypri donavit; a regina autem Isabella, Amalrici uxore, maximi pretii reliquias, quas olim reginæ Mariæ, Isabellæ matri, imperator Manuel, avunculus ejus, in dotem contulerat, brachium scilicet S. Philippi apostoli, Hierosolymam ita devectum a Constantinopoli, cujus postea translatio in Florentiam, supra citata ista nobis documenta de Monacho præbuit, dono Monachus accepit (4).

Monachus condendi Teutonicorum Equitum Ordinis particeps.

Quatenus vero Monachus, nova dignitate potitus, Sanctæ Terræ negotiis interfuerit, æstimare, silentibus quæ nobis adhuc in manu erant documentis, non facile queamus. Quum enim (ut supra vidimus) Monachi, Cæsariensis tantum archiepiscopi, nomine tot chartæ obsignatæ sint, ne unam quidem reperias patriarchæ sigillo notatam ;

(1) *Chart. S. Sepulchri*, n° 154, p. 275.

(2) *Chart. S. Sepulchri*, n° 177, p. 316.

(3) Forte *Pendaïa* (*la Pendée*, in pago dicto *Morpho*, ad radicem montis *Pendaï* sita), — aut *Pendakomo*, in territorio urbis *Limassol*. Vide Mas Latrie, *Construction d'une Carte de Chypre* (Bibl. de l'Ecole des Chartes, V, IV, p. 31-39).

(4) *Inst. Transl.* AA. SS[m]. Maii, I, p. 16.

nisi forte scripturæ quædam, ad Terræ Sanctæ historiam vix pertinentes, nobis subveniant, quibus unum e præcipuis ejus vitæ gestis patefit: Monachi scilicet in condendo Teutonicorum Equitum ordine (ann. MCXCVIII) consortium.

Exstabat Hierosolymæ, jam ab anno MCXXVIII, Germanicum quoddam Hospitium, dictum Hospitale Fratrum Teutonicorum Sanctæ Mariæ in Hierusalem. Quamvis obscuræ sint hujus instituti origo et natura, atque id exstitisse non aliter compertum habeamus quam scripturis duabus, quarum altera in Jacobi Vitriacensis *Historia Hierosolymitana* (1), altera, multo recentior, in *Sancti Bertini Chronica* (2) reperitur, tamen arbitrari licet Hospitale ministros habuisse sacræ cujusdam *confraternitatis* sodales, quæ, pontificis Cœlestini II (ann. MCXLIII) decreto (3) confirmata, usque ad diem, quo captæ sunt a Saladino Solymæ, permansit. Illa, utrum tanta clade correpta evanuerit, an semina quædam ex ipsis ruinis reliquerit, unde natus sit globus iste novæ, de qua mox disseremus, societatis, inter auctores ambigitur (4). A plerisque tamen existimatur, ea potissimum ætate qua obsideretur Accon (MCLXXXIX-MCXCI), omne jam prioris instituti vestigium evanuisse (5); tunc autem Bremæ et

(1) Jacobus Vitriacensis, *Histor. Orientalis*, lib. I, cap. 66 (Bongars, I, p. 1084). Cf. Marin. Sanut., *Secreta Fidel. Crucis*, l. III, pars VII, cap. 3. (Bongars, II, p. 178.)

(2) *Chronicon S. Bertini* (ap. Martène, Thes. Anecdot., III, p. 626). Cf. Alberici Novim. *Chronicon*, ed. Leibnitz, p. 224.

(3) Gregorii IX *Epistola* (ap. Sebast. Paoli, I, p. 272), in qua hæc Cœlestini, alteraque, nunc deperdita, Hadriani IV epistola, recensentur.

(4) Cf. Voigt, *Gesch. Preussens* II, p. 10; Dudik, *Deutsche Ordens Munzsammlung*, p. 31 et seq.; *Notas* D. Töppen ad *Chronicon* Petri Dusburgensis (SS. RR. Pruss., I, p. 26).

(5) Dudik, l. c.

Lubeci cives, qui Tyrum anno MCLXXXIX, duce Siebrando (1) quodam, Adolphum III comitem de Holstein-Schowenburg (2) secuti, appulerant, se post subitum hujus discessum (3), Danis et Frisonibus crucigeris, qui jam castra pro Accone obtinebant, socios addidisse; ibique eos, e fractis navibus suis, extra urbis mœnia juxtaque Sancti Nicolai ecclesiam, germanicum, ad tempus, hospitium struxisse (4); eosdem, favente duce Friderico de Suevia (5), qui, Acconem die VIII octob. MCXC advectus, ibidem, durante obsidione, die XX januar. MCXCI interiit, adjuvante etiam patriarcha Eraclio, qui, post ereptam christianis Hierosolymam, omni ope nitebatur ut præteritæ vitæ repensaret errores, religiosa se quadam societate conjunxisse, pontificis Clementis III edicto confirmata (VI febr. MCXCI) (6); hos deinde peregrinos, capta urbe, Hospitium suum intra ipsa mœnia constituisse, ibique firmam obtinuisse sedem, non sine regis Hierosolymitani Guidonis et Henrici Trecensis (7) amplissima

(1) Regis Guidonis *Donatio* ap. SS. RR. Prussic., I, p. 221, not. I.

(2) *Annales Hirsaugienses*, p. 159. *Ann. Novesienses* ad ann. 1192. (Mart. Amp. Coll., IV, 565.)

(3) Helmold. *Chronica Slavorum*, l. IV, cap. 7, ed. Bangert, p. 139.

(4) *Exordium Ordinis Teut.*, *Zammelsches Chronik*, ap. Dudik, pp. 39, 56. Petr. Dusburg, *Chron. Prussiæ*, l. I, cap. 1. Nik. de Jeroschin, *Kronicke von Prunzinlant*, v. 355 et seq. *Fund. Monast. Olivæ* (SS. RR. Pruss. I, pp. 26, 307, 675). *Chron. v. d. Duysteher Oirden*, c. 39 (Matthæi, *Vet. Ævi Analecta*, V, p. 655). Parochi Suselensis *Chronica Slavica* (Lindenbrog, *SS. RR. Germ.*, p. 205). *Wendisches Chronik*, ed. Grautoff, p. 438. Eghardus apud Herm. Corner, *Chron. Novell.* (Eccard, *C. Hist. Med. Ævi*, II, p. 793.)

(5) Pet. Dusb., l. c. *Chron. v. d. Duystcher Oirden*, cap. 42, p. 658.

(6) *Epist.* Clementis III, ap. Hennes, *Cod. Diplom. Sanctæ Mariæ Teut.*, I, p. 3.

(7) Dudik, pp. 49 et seq., et Töppen, *Ub. d. Anf. d. Deut-*

municentia, quam Cœlestini III edictum, die xxij decembr. ann. MCXCVI datum (1), comprobavit.

Illinc vix ortæ societati confirmandæ jam tum profuit Monachus, recens patriarcha electus? et supra memoratum edictum a papa Cœlestino III impetravit? Quod quidem arbitrari licet, si ad unum locum spectes, in Hollandica Teutonici Ordinis *Chronica* repertum (2). Sed verisimilius est eum anno tantum sequenti nascentis ordinis rebus interfuisse, in eo potissimum tempore ac statu quæ ab « *Exordio Ordinis Teutonici* », in bibliotheca Vaticana nuper invento (3), discimus. Germanorum nempe exercitus, Cœlestini Tertii voce coactus, et imperatoris Henrici VI munificentia fretus, bipartito in Palæstinam, anno MCXCVII, appulerat; altera pars, duce Conrado de Wittelspach, archiepiscopo Moguntino, primo vere advenerat; altera, cui præerat imperii cancellarius, Conradus, episcopus Hildesheimensis, mense tantum septembri applicuit. Bellum hoc, felicibus auspiciis inceptum, misere cessit, frustra oppugnato Thorone, et turpi Crucigerorum desiit fuga (febr. MCXCVIII). Quum de Monacho sileant omnia documenta e quibus hauriri potest illius expeditionis historia, ex illo contra monumento, quod supra diximus, explorate (4) percipimus Germanorum principes, antequam in Occidentem reverterentur, Ac-

scher Ordens, ubi donationes in extenso exscriptæ sunt.

(1) *Epist.* Cœlest. III, ap. SS. RR. Pruss., I, p. 225.

(2) *Chronyck van der Duytscher Oirden*, c. 42 (V, p. 658): cujus ceterum, annis et nominibus semper adulteratis, non nisi cautissime utendum est.

(3) Cod. Ms. bibl. Vatic. (Reg. Christ. n° $\frac{168}{1344}$) cum quadam ejusdem versione germanica (*Zammelsches Chronik*) a Dudik, pp. 38-41, 55-57, edita et sine versione a Töppen in *SS. RR. Pruss.*, I, p. 225 et seq.

(4) *Exordium*, ed. Dudik, p. 39.

cone, mense martio anni MCXCVIII (1), solemne concilium, præsidente Monacho, habuisse, cui omnes adfuerunt Terræ Sanctæ præsules ac barones. Ab hoc cœtu destinatum erat ut religiosus etiam ac militaris ordo constitueretur, pro illa hospitali Germanorum societate quæ sponte sua, dum obsideretur Accon, orta esset; quibus datum est nomen « Fratres domus Sanctæ Mariæ Teu« tonicorum in Hierusalem », quum sperarent omnes olim fore ut caput ordinis in Sacram Urbem ipsam transferretur (2). Novo quidem ordini datæ sunt regulæ, partim e Templi Equitum, partim ex Hospitalariorum legibus assumptæ (3); concilii autem decreta omnes qui aderant præsules ac proceres sigillo sanxerunt (4). Hollandica autem illa *Chronica*, de qua supra memoravimus, patriarcham imprimis conscribendas novi ordinis leges elaborasse refert (5), ejusque litteris, ad pontificem scriptis, munitos (6), Romam migrasse Wolferum, Pataviensem episcopum, pluresque alios legatos, quibus curam mandaverat concilium impetrandi a Cœlestino III° decreti, novum ordinem confirmaturi (7). Quum legati Romam devenere, jam defunctus erat Cœlestinus; qui

(1) Id., id.; Dudik in codice ipso annum legit MCXCV, quod merum librarii fuisse errorem, annumque MCXCVIII legendum esse optime probat Töppen, l. c.

(2) Cf. Dudik, p. 43.

(3) Quas regulas in Duellii *Miscellaneis*, I, p. 11-96, invenies. Cf. Hennig, *Deutschen Ordens Statuter*.

(4) *Exordium* et *Zamm. Chron.*, ed. Dudik, pp. 40, 57. Cf. Pet. Dusburg, Nik. v. Jeroschin, Herm. Corner, *Chr. v. d. Duystcher Oirden*, l. c., qui sive in nominando Patriarcha, sive in tempore notando, falluntur, sed omnes ex eodem fonte, *Exordio* scilicet, defluunt.

(5) *Chron. v. d. Duyst. Oird.*, c. 42, p. 657.

(6) Id., p. 658.

(7) *Exordium*, l. c. *Zammelsch. Chronik*, l. c. *Chr. v. d. Duystch. Ord.*, l. c.

autem ejus sedem exceperat, Innocentius III, a se postulata privilegia (die xix febr. MCXCIX) (1) concessit, additis insuper litteris, hodie quidem deperditis, quibus omnem curam exsequendi decreti, Summi Pontificis nomine, ad Monachum deferebat (2). Ille ineundam statim dignitatem permisit ordinis Magistro, jam prius electo, Henrico de Walpot (3), qui cum novis fratribus in verba ejus juravit, die xix novembr. MCXCIX (4), et a quo insignis illa Prussicorum dominorum series orta est.

Monachi cum Innocentio Tertio, papa, simultates.

Si tempus illud excipias, quo forte Monachus condendo in Terra Sancta ordini alienigeno interfuit, nihil jam de illo compertum habeamus, deficientibus, ut nuper diximus, documentis ab illo conscriptis vel profectis; sed licet ad Innocentii III[i] (5), papæ, epistolas confugere; quas si testimonio adhibeamus, spectantes ad verba quibus utitur Summus Pontifex, et ad ipsam litterarum scripturam, et ad permultas quibus repletæ sunt querelas, effigiemque Ecclesiæ Palæstinæ, defuncto Monacho tristissime depressæ, ab illo adumbratam (6); si præsertim consideremus illos tum temporis, ad mutanda quæ recens per licentiam facta erant, et componendas provinciæ lites, Syriam insolenter missos a Pontifice legatos, existimare possimus Monachum misere patriarchæ munus exsecutum esse, nedum virtuti ejus, ab anonymo Florentiæ scri-

(1) Inn. III *Epist.*, l. I, ep. 570, ed. Migne, I, col. 525.

(2) *Chr. v. d. Duyst. Ord.*, c. 44, p. 661.

(3) De Henrico de Walpot, cf. Doll., *Die Familie Walpoden* (Mainz, 1831, in-8°). Töppen, *Anf. d. Deutsch. Ord.*, l. c. Bachem, *Chronol. der Hochmeister*, p. 14.

(4) *Chron. v. d. Duyst. Oird.*, c. 45, 662.

(5) Ad annos tantum 1198-1199 et 1202, libro enim Epistolarum III° (a. 1200) quartoque (anno 1201) huc usque nondum repertis.

(6) *Epist.* Inn. III, l. VIII, ep. 101, ap. Leop. Delisle *Nov. Recensionem* ineditam.

ptore adeo ornatæ (1), fidem tribuamus. Nec suspicari quidem ita foret absurdum Monachi partim culpa evenisse ut mutaretur Pontificum erga ecclesias Palæstinæ voluntatem, quæ, ad hoc usque tempus valde liberæ, Romæ arbitrio magis ac magis pendere cœperunt. Primo quidem anno quo regnavit Innocentius III, non mala fuisse videtur inter Papam et patriarcham consuetudo; namque januario mense MCXCVIII (2) Monacho denuntiabat Innocentius se Sancti Petri cathedram conscendisse; necnon profitebatur novus Pontifex se Terræ Sanctæ causam alacriter suscepturum. Sed paulo post dissentire cœperunt Monachus et Innocentius III : Monachus enim equitibus Hospitalis casale Nephim tribuerat, quod, ecclesiæ Tripolitanæ subjectum, ab illis restitui jussit Pontifex (3). Conjici autem potest Tyri Archiepiscopum, eumdemque regni cancellarium (4) et Tripolis metropolitanum, qui sequenti anno judicandam litem habuit, eo rem, pro virili parte, adduxisse (5); certe constat, Monacho et Archiepiscopo acerbe ita inter se altercantibus, litem ad aures Innocentii pervenisse, qui, sive Monachum quasi pro uno ex defuncti papæ,

(1) *Instr. Transl.*, l. c.

(2) *Epist.* Inn. III, l. I, ep. 11, ed. Migne, I, col. 9.

(3) *Epist.* Inn. III, l. I, ep. 73, ed. Migne, I, col. 64.

(4) Joscius nempe, nec alius; quippe quum a. d. 1197, 2 nov., Amalricus rex Cypri quædam ei largitus sit in insula ista (*Chart. S. Sophiæ*, n° 46, p. 143, Ms. Bibl. Cæs. Par., supp. lat., n° 10189; cf. Mas Latrie, *H. de Chypre*, II, 601), et, annis 1198 oct. et 1200 aug., regalis cancellarii officio etiamtum fungeretur (Seb. Paoli, I, pp. 235-287 : *Deust. Ord. Centr. Archiv.*, in Königsberg, chartæ n° 46-48), nec ipse videatur obiisse ante ann. 1202, jan Cf. *Fontes RR. Austr.*, XII, p. 425 Anno 1203 (aug. 12 et 16) quidam apparet J. C. Tyrensis electus (*Epist.* Migne, II, l. VI, ep. 132, 134; Ed. Inn. III, pp. 147-149).

(5) *Epist.* Inn. III, l. II, ep. 273. Ed. Migne, I, col. 836.

Cœlestini nempe III, fautoribus aut saltem clientibus haberet, eumque proinde non magni faceret (1), sive reipsa patriarcham deliquisse arbitraretur, ei gravem epistolam, de qua supra diximus, mittendo intervenit. Eodem tempore (III et V jan. MCXCIX), Pontifex, suscepta archiepiscopi causa, qui videtur adversarii jurisdictionem, ab ecclesia Tyria semper ægre toleratam (2), detrectare voluisse, duo crimina, jam dudum sopita, suscitat, quæ pridem, de ipsa Tyro, Papæ patriarchis objectaverant : alterum, scilicet, de primatu in metropolitanas Tyri Petræque ecclesias, de quo inter Hierosolymitanos patriarchas et Antiochenam sedem ambigebatur (quam ob rem explanandam dies Monacho dictus est Romæ ante Kal. Novembris, anno MCCI) (3); alterum vero, de jure clerum Tyrium præjudicandi, quod sibi vindicabant patriarchæ, Innocentius autem, scriptis ad Monachum litteris, vetuit ne unquam postea exercerent (4).

Ceteroquin obsecutus sane Monachus, amicitiam rursus cum Joscio archiepiscopo pactus est; aut verisimilius est, quia litem de jurisdictione, posthac revocatam, anno tantum MCCVI (5) dirimi videmus, Joscio tunc temporis forsan defuncto (6), aut saltem ex animo Innocentii III ejecto (7), causam controversiæ subla- **Monachus cum Innocentio, papa, reconciliatur.**

(1) De litibus Innocentium III inter et Cœlestinum III, cf. Hurter, *Gesch. d. P. Innocent* III, I, p. 51.

(2) *Epist.* Inn. III, l. I, ep. 505. Ed. Migne, I, col. 466.

(3) Cf. Inn. III *Epistol.* ad Amalricum regem, ann. 1203 aug. 13. (*Epist.* Inn. III, VI, 132. Ed. Migne, II, col. 148.)

(4) *Epist.* Inn. III, l. I, ep. 505. Migne, I, col. 475.

(5) *Epist.* Inn. III, l. IX, ep. 52, 253.

(6) Quod apparet ex quadam Innocentii III *Epistola*, an. MCCII mai. 30 data (*Fontes RR. Austr.* XII, p. 425), quæ de Joscio, utpote defuncto, loquitur.

(7) Vide infra, p. 50.

tam esse præcipuam inter Pontificem et patriarcham; quos desinente anno MCXCIX amicius inter se, si unam de juribus Capituli Sancti Sepulchri nondum remissiorem Innocentii ad Monachum epistolam (1) excipias, agere manifestum est.

Tunc enim, post bellum a Crucigeris Germanis anno MCXCVIII, frustra obsesso Thorone, infeliciter gestum, Innocentius III, regni Hierosolymitani valde depressi misertus, novam in Europa inire prædicationem susceperat, quam ad perficiendam innumeras epistolas (2) ad principes clerumque totiusque orbis christianos destinaverat, quibus eos certiores faciebat duos a se legatos, Soffredum scilicet de Cajetanis et Petrum de Capua, presbyteros ambo cardinales, unum tituli S. Praxedæ, alterum S. Marcelli, instruendis futuri belli copiis, colligendisque pecuniis, præpositos esse. Cujus pecuniæ jam exacta pars ad Monachum missa erat (MCXCIX sept.), qui ea pro necessitate uteretur, addito ut « de statu Terræ Sanctæ quam « verissima indicia remitteret » (3). Jam, eodem tempore vel paulo antea, Innocentius III, sese ipsum de Agarenorum, quos christiani paulo post aggressuri erant, moribus et viribus certiorem facturus, quo melius res Crucigerorum cedere in futurum possent, mandaverat Monacho « ut, inquisita diligentius veritate, tam terras Agare« norum quam detentores earum Sanctæ Romanæ Eccle« siæ exponere scriptis suis fideliter procuraret (4). » Quæ

(1) *Chart. S. Sepulcri*, n° 148, p. 275.

(2) Cf. Innocentii III *Epist.*, I, 336, 343, 346, 355, 407, 409, 508, 509; II, 268-272, 305.

(3) Ibid., II, 189, ed. Migne, I, col. 707. Cf. Inn. III *Gesta*, ch. 46, ed. Migne, I, col. 99.

(4) *Narratio Patriarchæ Hierosol. ad Inn. III*, apud Bongars, I, p. 1125.

porro, sive « *de Agarenorum viribus* », sive « *de statu Terræ Sanctæ* » (1), quam citissime collegisse, atque ad Innocentium III, adjecto insuper, ut suspicamur, quodam de prioribus bellis in Palæstina (annis præsertim MCXC-MCXCVII) gestis libello (2), misisse videtur (3). Cui trino, ut ita dicam, Terræ Sanctæ *Enchiridio*, certe paulo post alludit Summus Pontifex, quum, in litteris duabus ad totius Europæ clerum (MCXCIX, dec. xxvij) (4) universosque fideles (MCC. jan. iv.) (5) missis, se ab Hierosolymitano Patriarcha litteras, miserum transmarini regni statum evolventes, nuper accepisse fatetur. Nulla enim, ni fallimur, fides istis adhibenda est quæ S. Albani anglicus chronographus, Rogerius de Wendower (6), de hac re finxit, has porro Innocentii III epistolas, ac proinde solemnem istam crucis in toto orbe prædicationem, Monacho ipsi nostro adjudicans, qui mirabiles quasdam a Deo missas « de Dominica requie » litteras (7) in S. Simeonis ad Golgotham altari reperisset, et Summo Pontifici misisset : de qua re nil aliud dicemus nisi Hierosolymitana Loca, christianis præclusa (8), nunquam iis temporibus Monachum adire potuisse.

(1) Apud Martène., *Thes. Anecd.*, III, col. 275-281.

(2) Sub titulo « *Historia brevis* « *de recuper. et amiss. Terræ* « *Sanctæ* » editum apud Eccard., *Corpus Historic. Med. Æv.*, II, col. 1349-1354.

(3) *Narr. Patr.* procemium, l. c.

(4) Inn. III *Epist.*, II, 270, ed. Migne, I, col. 828.

(5) Inn. III *Epist.*, II, 271, ed. Migne, I, col. 832.

(6) Rog. de Wendower, *Flores Historiarum*, ed. Engl. Hist. Soc., t. III, pp. 148-152. Cf. Matth. Paris., *Hist. Major*, ed. Wats, pp. 168-169.

(7) Subditiciæ istæ litteræ ap. Rogerium de Hoveden (ed. Savile, pp. 820-829) inveniuntur, nulla autem nec Innocentii, nec Patriarchæ mentione adjecta.

(8) Jam a tempore pacti a Ricardo I cum Salahadino initi, duorum tantum clericorum lati-

Nunc, ut ea quæ ad mutua papæ et patriarchæ commercia spectant concludamus, duas Innocentii ad Monachum epistolas memorabimus, unde apparet Pontificem nostro fiduciam denuo quamdam in posterum adhibuisse. Monachum enim Papa (MCXCIX, dec. XV) (1) anathematizando Sidoniensi episcopo, immodestiæ reo, præficiebat : cui paulo post (MCC, apr. V.) (2), latam a suffraganeis sedis Tyrensis episcopis sententiam rescindens, committebat ut plebano S. Marci in Tyro, Venetianæ Basilicæ subjecto, quædam ei a Joscio, Archiepiscopo Tyrensi, sublata jura restitui juberet, ipsumque Joscium, sua vice reum, excommunicatione, si opus esset, feriret.

Monachus moritur.

Nec longum jam vitæ spatium Monacho supererat : postquam enim anno MCCI, adjuvante patriarcha Antiocheno, Tripolitanum comitem, ob injuriam Hospitalis equitibus illatam, Ecclesiæ communione privasset (3), verisimile est eo facto desiisse illius patriarchatum. Anno enim MCCII Innocentius III in Terram Sanctam duos illos, de quibus supra diximus, legatos misit, qui res omnes, a quibus sane per senium et valetudinem prohibebatur Monachus, administrarent (4), et præsertim litem istam de S. Maria Tyrensi, a patriarcha nondum compositam, solverent (5). Soffredus, Cardinalis S. Praxedæ, prior cum summa auctoritate delegatus (6), medio fere anni MCCII proficiscitur, et,

norum ad S. Sepulchrum sacerdotium erat. Cf. *Itin. Ricardi*, l. VI, cap. 34, ed. Stubbs, p 438.

(1) Innoc. III *Epist.*, II, 257, ed. Migne, I, col. 816.

(2) Innoc. III *Epistola*, ap. *Fontes RR. Austr.*, XII, p. 282.

(3) *Epist* Soffredi ad Innoc. III, in *Gestis* Inn. III, cap. 118, Migne, I, col. LII.

(4) *Gesta* Inn. III, cap. 88, Migne, I, col. CXL.

(5) Inn. III *Epistola* (1200, Mai. 30), apud *Fontes RR. Austr.*, XII, p. 425.

(6) *Epist.* Inn. III, l. V, ep. 26, Migne, I, col. 978.

vix Acconem appulsus, Monachum reperit morientem (1). Paucis post diebus defunctus est patriarcha (2), « et, ait « Florentinus scriptor anonymus, ex hac vita fluxibili et « fugitiva ad immortalitatis transivit patriam, coronam « gloriæ immarcessibilis recepturus (3). » Interiisse autem Monachum ante mensem novembris MCCII necesse est, quum, Accone jam egressus, ejusdem mensis die undecima (4), legatus Tripolim advenerit. Eum quidem S. Sepulchri capitulum in Monachi locum elegit, et hoc jam titulo nomen ejus ornatur in codicillo quem ipse Accone, die VII Maii MCCIII, scribebat (5). Canonici vero, confirmandæ optionis causa, Romam ad Pontificem miserunt Priorem suum, recens electum, nomine Rainierum, qui secum S. Philippi brachium, a Monacho ecclesiæ Florentinæ S. Johannis Baptistæ legatum, deportavit (6). Quanquam tamen Innocentius III valde eum urgebat (XVI Augusti MCCIII) (7), munus patriarchæ ultra detinere noluit Soffredus; immo, in Constantinopolim abiit, inscio Innocentio III, qui eum ejusque socium Petrum de Capua vehementer objurgavit (8), miserique Palæstinæ status, jam a morte Monachi pastore orbatæ, anxius, quam citissime in Acconem Beatum Albertum de Castelgauthier, Vercellensem episcopum, et postea Ordinis Carmelitani reformatorem, misit Monachi demum sedem occupaturum (9).

(1) « Invenit in extremis labo- « rantem. » *Gesta* Inn. III, c. 88, ed. Migne, p. CXL.

(2) « Post aliquot dies ex hac « luce migrante. » Id. id.

(3) *Instr. Transl.*, l. c.

(4) *Epist.* Soffredi, l. c.

(5) Sebast. Paoli, nº 85, p. 90.

(6) *Instrum. Transl.*, l. c. Rigord. Malespini, l. c. Vincenzio Borghini, *Discorsi*, II, p. 487.

(7) *Epist.* Inn. III, l. VI, ep. 129; l. VIII, ep. 126, ed. Migne, II, col. 141, 699.

(8) *Epist.* Inn. III, l. VII, ep. 223; l. VIII, ep. 125, ed. Migne, II, col. 541, 699.

(9) *Epist.* Inn. III, l. VIII, ep.

Conclusio : Monachus et auctor opusculi unus idemque habendi sunt.

De Monacho non amplius e fontibus nostris haurire potuimus (1); quod quidem satis est ut merito concludatur, quanquam nullus e cunctis Medii Ævi bibliographis de Monacho sive poeta, sive rerum auctore loquatur, eum tamen, si bene colligantur argumenta, certe habendum esse Rhythmi conditorem, et tollendam esse, ut quum maxime, dubitationem de auctoritate tituli a J. Herold et Ph. Poyssenot dati : nihil enim in tota Monachi vita reperitur quo probari possit Rhythmum ab eo non esse confectum; Rhythmi autem ne verbum quidem unum eo nos perducat, ut illum scripsisse Monachum infitiemur. Ut Rhythmologus, ita Monachus in Italia, bellum sacrum prædicante Clemente III, versabatur; ut Rhythmi auctor, Italus, immo Gibelinus erat, quod quidem profitetur animus ille Pisanis amicus, et Summo Pontifici parum obstrictus. Unum vero, si Rhythmum a Monacho scriptum esse conjicias, difficilius videtur explanari posse: versum dico illum, quo poeta « confratres » (2) suos commemorat, quod

101, Migne, II. col. 669. Cf. Le Quien, *Oriens Christianus*, III, p. 1251.

(1) Nil enim amplius de nostro reperire nobis licuit, vel in editis, vel in manuscriptis documentis quæ nobis in manu fuerunt; res quidem minime miranda, quum de Monacho plane taceat ipse Quaresmius, necnon Suarez in sua inedita « *Patriarcharum Hierosolymitanorum historia* » (Bibl. Cæs. Paris, supp. lat., n° 8983), quumque de eodem nil fere habeat Ducange in sua inedita *Syria sancta*, cujus tamen exemplar quoddam notis auctissimum pervolvere potuimus. Quædam nihilominus historia Monachi illustratura, fatemur, forte supersunt, ea quidem quæ Ferdinandus Ughellus in suo inedito « *Libello Orientalium Ecclesiarum* » collegisse affirmat. (*Italia sacra*, IV, col. 1097.) Sed *Libellus* iste, nunc cum ejusdem manuscriptis reliquiis in aliqua Romana bibliotheca sepultus, nos eum omni via quærentes fefellit.

(2) « Si confratres mei tunc ibidem fuissent. » (V. 159.)

quidem vocabulum ab humili monacho vel canonico melius usurpari quam ab archiepiscopo Cæsariensi potuerit Arbitrari tamen licet Monachum, « confratres » dicendo, vel « cives » interpretatum, vel urbaniori voce erga canonicos, e Florentina Sancti Johannis Baptistæ ecclesia, confratres olim suos, quibus forsan opus destinabat, uti voluisse. Antequam igitur opusculi partes breviter contrahamus, sermonemque ejus et auctoritatem perpendamus, si quidem unum eumdemque hominem habemus Rhythmologum et Monachum illum nostrum, consideranda sunt singula quædam ex opere, quæ nobis de patriarcha ante dicta plane absolvant simul et corroborent. Ibi nempe videmus Monachum, anno MCLXXXIX, Florentia Veronam, Verona Venetiam migrasse (1); hic autem eum, initio mensis Augusti, in adoptivam patriam rediturum, navem conscendisse, et, postquam Tyrum applicuisset, Acconem una tantum cum Marchione Conrado (2), die scilicet XXIII sept. MCLXXXIX (3), pervenisse. Sin, alia parte, spectamus ad illa de Pisanis adeo amice a Rhythmi auctore dicta (4), et ad judicium de comite Campaniæ (5) valde iniquum, de Conrado Marchione contra

(1)

« Pontum a Venetiis navibus sulcan-
[tes,
« Et die tricesima Tyrum applican-
[tes. » (V. 49-50.)

Qui naves haud alii erant ac Venetiana illa classis, qua usi sunt quoque Pisæ Ravennæque archiepiscopi. Cf. And. Dandul., *Chron. Venetum*, l. x, p. XII, cap. 22 (Muratori, SS. RR. Ital., XII, p. 275).

(2)

« Nos cum eo (Marchione) venimus,
[gratanter recepti
« Ab his qui tunc fuerant ibidem
[collecti. » (v. 77-78)

(3) *Epist. Theobaldi*, ap. Radulph. de Diceto, ed. Twysden, col. 648.

(4) Vers. 55, 489.

(5)

« . . . . consilio fretus levitatis,
« Forte per audaciam juvenis ætatis. »
(V. 425-426.)

iteratis laudibus magnificum, confirmabitur sane quod Guillelmi Tyrii « continuator » de patriarchæ agendi ratione erga utrumque principem edisseruit.

V

QUID DE RHYTHMO SENTIENDUM?

De Rhythmi metro.

Transeundum nunc ad ipsius Rhythmi scripturam examinandam, fatendumque imprimis, quod ad sermonem attinet, nihilo elegantius quam cetera ejusdem temporis ac generis opera scriptum esse. Constat quidem e strophis, quæ singulæ quatuor versus vel ordines, eodem sono desinentes, continent; abest tamen omnino parastichis, ea ætate non mediocriter usitatà, quamquam littera qua pariter versus quaterni terminantur distincte ab Oxoniensis codicis librario descripta est. Versus in syllabis tredecim consistunt, sed fixo carere metro videntur; licet tamen animadverti versum unumquemque duobus inæqualibus hemistichis constare (1), quorum alter septem, alter sex tantum syllabas amplectitur; ultima autem quæque prioris hemistichi vox, tono in antepenultimam syllabam, cæsuraque certa, penultimam inter et ultimam syllabam notatur, utpote rhythmico dactylo simul ac metrico iambo (ex. : Pontifex) terminata (2). In posteriore contra hemisticho tonus semper in penultima residet syllaba (3); cujus quidem numerorum generis :

ʹ◡ʹ | ◡ʹ | ◡◡ || ʹ◡ | ʹ◡ | ʹ◡

(1) Ut versus iste italicus qui *endecasyllabo* nuncupatur.

(2) Quod finis genus *sdrucciola* appellant Italici.

(3) Italice *piana*.

tum in latinis istius temporis (1), tum in recentioribus, qui gallice (2), italice (3) aut hispanice (4) scripserunt, poetis, frequentissimi, tria latina supersunt exempla ad eosdem potissimum eventus ac Rhythmus Acconensis spectantia (5): ceterum opus hoc Monachi nostri, inter omnia metri ejusdem historica poemata, longissimum et gravissimum esse videtur, quippe quod strophis CCXXIV, versibusque ita DCCCXCXVI constat. In Heroldi quidem editione digestum est totum poema in capita, varium singula stropharum numerum continentia, quorum tituli res nonnullas docentes quarum mentio nulla est in ipso poemate (6), sæpiusque primam pluralis numeri personam usurpantia, illa potissimum ætate scripta fuisse videntur. Ipse porro Rhythmus ad similitudinem epistolæ, ut apparet, compositus, forsan civi cuipiam Florentino (7) inscriptum olim dedicatorium procemium (8), hodie amissum, præ se ferebat.

Dicendi autem genus, ut mos apud illius ætatis scriptores, secutus est Rhythmologus rude ac barbarum, vitatis tamen plerumque solœcismis, verbisque admodum paucis pessimam latinitatem redolentibus. Neminem imitatur, De stylo rhythmologi.

(1) Cf. Edélestand du Méril, *Poésies populaires latines du Moyen Age*, p. 155; Grimm, *Gedichte des Mittelalters*, p. 178; Wright, *Anecdota litteraria*, p. 43-49.

(2) Cf. in Gallicis poetis *versum alexandrinum antiquiorem*. (Benlœw, *Théorie des Rhythmes*, p. 75.)

(3) Tassi *octava*, Allighieri hendecasyllabicus, nostro propiora esse videntur. (Benloew, p. 71.)

(4) In Hispania, « *Poesia de arte major* » tetrastichi nostri nuncupabantur. Cf. Benloew, p. 75; Ticknor, *Hist. de la Litter. Española*, t. I, p. 33, etc.

(5) Cf. Edélestand du Méril, l. c; Grimm, l. c.

(6) Ut tituli stropharum CXXXI, CXLI.

(7) Cf. v. 537-677.

(8) Quod forsan, velut unum e tetrastichis fragmentis a nobis infra datis, strophis XXJ constans, numerum M versuum replevisset.

assumpta tantum ex infimis poetis, qui tunc præsertim legebantur, una vel altera grandiloqua periodo, translationisque jure non abutitur, nisi locis aliquot ambitiosis obscurisve. Satis habet narrare, et hoc quidem simpliciter, clareque, ut oculatus testis, qui, in exercitu ita ingenti, Acconem obsidente, versatus, nihil sane nisi tum res ab universis gestas, tum forte sensus affectusque penitus reconditos, posset conscribere. Ita fit ut ejus orationi non desint vis atque incitatio, quotiescumque describit aliquid, quamquam sermonis elegantia semper fere deficit: intelligimus eum præliis quæ depingit tantumnon interfuisse, necnon per easdem spei desperationisque vices, per quas ceteri belli socii, transiisse. Singula autem quæ refert de fame, qua non semel pressi sunt obsidentes, de annonæ pretio, de machinis bellicis, nova et admodum utilia sunt. Immo, christianæ fidei valde adstrictus erat Rhythmi auctor, et quamvis ne unam quidem narret ex omnibus istis fabulis quas circa primum Bellum Sacrum chronographi lectoribus nimium credulis ementiebantur, tamen videre est mentem illam solitæ ea ætate religionis eximiique ardoris plenam fuisse: quod quidem apertius denotant loci quidam a nobis secundum codd. Babenbergensem et Oxoniensem restituti (1). Id etiam notatu dignum est, auctorem nusquam fere oratoriis insectationibus in Sarracenos invehi, et, in loco unico illo, ubi singillatim unum ex horrendis suppliciis exsequitur quæ Crucigerorum judicia dedecorabant, versus hos præmittere, humaniorem sensum testantes:

(1) Cf. vers. 210, 268, 676, 708, 844. Hic forsan perspici possit manus ipsa lutheranissimi Heroldi nostri.

« Inhumane carnifex cœpit desævire,
« Quod referre nefas est, tædium audire » (1).

De fontibus operis et de fide auctoris.

De fide Rhythmo adhibenda et auctoris veritate, animadvertamus primum nova esse omnino quæcunque narrat, ipsique propria, quippe quum ad unum modo fontem, ad *Gesta Antiochenorum* (*la Chanson d'Antioche*) (?), quæ obiter memorat, recurrerit (2); præterea, quum illa testis oculati documenta nusquam redundanti poetarum more amplificentur, fatendum est in illis inveniri testimonia de Acconis obsidione quam optima et omnino certissima. Postquam vero Rhythmum attentius cum « Itinerario Ricardi », continuataque Guillelmi Tyrii historia, cum narrata ab anonymo Tyri Acconisque obsidione (3), postremo cum Rogerii de Hoveden et

(1) V. 865.

(2)
« Periit audacia militum Francorum,
« Quæ quondam, cacumina transcendens murorum,
« Effugabat millia trecenta Turcorum,
« Sicut *Gesta* referunt *Antiochenorum*. (V. 577, 580.)

Qui versus, ni fallamur, istis Gallici poetæ versibus alludunt, Antiochiam oppugnatam narrantis :

« Or se hastent François de monter contremont. »

(*Chans. d'Antioche*, l. vi, str. 27, v. 718, t. II, p. 113.)

Et :

« Sarasins et paiens salerent allier,
« Bien furent trente mil à l'estour commencier. »

(*Ch. d'Ant.*, l. vi, str. 38, v. 99-100, t. II, p. 123.)

Nequit enim hic agi de deperdita Josephi Ischanii *Antiocheide* (cf. Camden, *Remains*, p. 312), quæ anno tantum MCC composita fuisse videtur, nec de Galterii Cancellarii *Bellis Antiochenis*, ubi nil simile invenitur. In Gilone quidem, l. I (Martène, *Thes. Anecdot.*, III, p. 126), versum quemdam legimus :

« . . . Trecenta millia spectant
« Turcorum mæsti . . . . . . »

Sed minime ad Nostri citatos versus hoc referendum arbitramur.

(3) *De Bello contra Salahadinum gesto*, *Elegi*. (Ms. Bibl. Cæs. Par., supp. lat., n° 11340), quod sæc. XVI exaratum secundum antiquiorem quemdam, nunc deperditum, sed olim in Altæ Sylvæ, Lotharingi monasterii, bibliotheca asservatum codicem, hæc pro titulo præ se fert : « *Versus*

Radulphi de Diceto relatione contulerimus, ne rem quidem unam comperimus de qua discrepet inter Rhythmum plurimosque rerum auctores, quum contra certa et singula quædam, ut infra videbimus, adjiciat, quæ obsidionis res gestas et tempora luce nova illustrent.

VI

RHYTHMI BREVIARIUM.

Operi præmittit auctor prologum, strophis XVII comprehensum, quo breviter Salahadini victorias, amissamque Hierosolymam, et tot cladibus auditis commotum Occidentem, Cæsaremque et Galliæ atque Angliæ reges ad crucem sumendam impulsos, exsequitur.

Nempe Cardinalis Adelardus, a titulo S[t] Marcelli (1), cui prædicandi in Italia Belli sacri munus commissum est (2), ipse Orientem, Pontificis legatus, multisque et piis migratoribus stipatus, proficiscitur. Prologum auctor persecutus ea paucis absolvit quæ pro Acconis mœnibus, se nondum appulso, gesta erant; refert nempe circumsessam urbem a rege Guidone, nec opinate adventantem Danorum Frisonumque classem, et infeliciter editum die IV Octobris prælium, copias denique in Acconem ductas a Marchione

« *ex libro Mag. Ricardi, canonici* « *S[ti] Victoris Parisiensis* »; unde concludi potest quoque Acconensem et istum Rhythmum, perinde ac nostrum (Babenberg. text.), ad calcem exemplaris cujusdam *Operum* Ricardi S[ti] Victoris conscriptum fuisse.

(1) Hunc Rhythmologus Veronensem appellat episcopum, quo nomine, non nisi annos quatuor post, ornatus est.

(2) Romæ adhuc a. d. 1188 (oct. 28) erat, ut patet ex Cœlestini III epistolis (Migne, *Ep. Cœl.*, *III*, col. 1386), nec prius prædicationes inchoasse videatur.

Conrado, qui, omnis erga regem Guidonem inimicitiæ oblitus, castra prope ipsius oppidi mœnia constituit. Hoc demum loco, quæque ipse vidit, et quorum pars fuit, narrare Rhythmologus aggreditur : pugnam scilicet, die xx octobris commissam, qua cæsi profligatique sunt Templarii et structa pro christianorum castris munimenta; miserumque exercitus statum, non jam obsidentis, sed obsessi, sequentes versus expediunt. Mirum prorsus est ibi, necnon aliis infra locis, auctorem de classibus haud mediocribus scribere, quæ, ab Ægypto sane profectæ, Acconis portum sæpius intraverint : quæ res, ut a ceteris plerumque chronographis omittitur, ita tamdiu durantis obsidionis rationem affert probabilem. Turcorum inde audacia, veræ Crucis lignum, in muris elevatum, conspiciente frustraque indignante Latinorum exercitu, flagellis verberantium (1), desæviensque tempestas, vento pluviaque nondum bene constituta christianorum castra infestantibus, morbi demum et fames quibus per duos assidue menses, exspectando commeatu præsidioque quod Tyro arcessitum miserat Conradus, vastatur exercitus : hæc omnia vivide carptimque describuntur. Hinc narrantur ascensus illi in muros, turrium lignearum ope, quas oppidani incendio delebant, frustra tentati, et tria prælia, diebus maii III, XIII et XIX edita, quorum in secundo, ait auctor,

« Pugnarunt viriliter homines Veronæ,
« Memores Ferrariæ tali die pronæ (2), »

quod sane captum a Veronensibus anno MCLXXXVIII, de Salinguerra Ferrariæ domino, castellum de Frata, memorat. Hoc autem loco, die julii prima, mentio fit

(1) V. 125-128. (2) V. 223-224.

de Imperatoris Friderici expeditione miseroque obitu, quæ tunc primum in castris audita sunt; mox hujus eventus causas auctor ab rerum ordine fusius declinans exponit, strophisque XXVI Germanorum iter trans Bulgariam Asiamque minorem exsequitur; et notatu prorsus dignum est iter hoc ab illo non, ut a ceteris chronographis, tristissimis coloribus depingi. Nam, si auctori nostro fidem tribuas, non sorte illa misera, quæ vulgo dicitur, oppressum est agmen quod secum dux Suevorum habebat, majorem partem Italos equites complexum. Non abstinet quidem ab Imperatoris morte magnifice narranda, neque tacet profectos extemplo, post hunc mortuum, equites e proceribus quosdam, Occidentemque celeriter regressos; fatetur tamen non mediocres fuisse copias quibuscum salvis et pene integris dux Suevorum Antiochiam devenerit, quasque, desinente septembri, Marchio obviam missus Acconem adduxerit. Inde ad describendam obsidionem redit auctor, quam rursus a die XXV julii, frustraque oppugnatis a christiano exercitu hostium castris, exsequitur; tunc, versibus fere CLX, petitam defensamque urbem ostendit, casusque non tam varios quam multiplices ex ordine percenset. Turris porro dicta *Muscarum* (1) principem hic locum in Monachi narratione obtinet: quæ, quum in portus ipsis faucibus collocata, et in mari fundata, naves christianorum vexaret, assiduo impetu lacessebatur. Constructus itaque aries cataphractus, admodum ingens, quem excogitaverat archiepiscopus Bisuntinus, Theodoricus II de Monte-Falconis, quem ut delerent, Græco igne utebantur

(1) De Turre Muscarum, Cf. *Itiner. Ricardi*, l. I, cap. 32, ed. Stubbs, p. 75; *Roman de Godefroy de Bouillon*, III, p. LXXXI; Wilken, *Gesch. d. Kreuzzüge*, IV, p. 89; Ellis, *English Metr. Romances*, p. 310.

Sarraceni, a Monacho his versibus singulariter descripto :

« Ignis ille fœtidus, ignis exsecratus,
« Cum ampullis vitreis desuper stillatus,
« Serpit per gracillimos subterraneos meatus,
« Donec intus æstuans magnos dat hiatus (1). »

Græcum vero ignem non ea omnino ratione describere solent latini chronographi. His vicibus usque ad diem XIV novembris durat obsidio : tunc autem, hieme redeunte, redit fames, baronibusque de venumdandis alimentis legem ferre necesse est. Frustra interim Galliæ Angliæque reges adventuros sperat exercitus, quem Salahadinus, tempore usus, sine mora lacessit. Mense vero januario (MCXCI) magis ac magis desævit tempestas ; jamque ipso in portu intereunt naves Musulmannorum, ruuntque partim urbis mœnia. Re ac tempore ita insperato uti, et in oppidum improviso incidere, primum Germani, deinde Tyrensis Marchio, frustra aggressi sunt : depressæ jacent copiæ, principesque e latinis nobilibus vel morbo et labore fatiscentes, vel in acie oppetentes, morti occumbunt. E quibus maxime conspicuos recenset Monachus ; jam supra, die novembris XXIV, obiisse memoravit comitis de Clarimonte nepotem, non alium sane atque Henricum I, comitem de Bar, et nepotem Raynaldi II de Claromonte Bellovacensi ; nunc autem habetur mentio de morte (Guidonis) Ravennatis archiepiscopi, et (Johannis) episcopi Faventini, et landgravii (Ludovici) Thuringensis, quem non in Acconis conspectu, sed in nave qua, morbo gravatus, Occidentem redibat, periisse ait ; paulo post, de obitu comitum Theobaldi (de Blois) et Stephani (de Sancerre), qui ambo patrem habuere Theobaldum Magnum, Campaniæ comitem ; necnon (Balduini) Cantuariensis archiepiscopi, ducisque Sueviæ, cujus

(1) V. 454-458.

finem ita mensibus aliquot retardat; fortissimi demum illius archiepiscopi Bisuntini (1), Theodorici de Monte-Falconis, qui a Nostro vocatur

« . . . . gemma clericorum »,

cuique dedicata est relatio de Acconis obsidione, distichis conscripta, necdum edita, de qua supra diximus. Tristissimum hunc indicem excipit narratio non minus luctuosa : fames enim a mense januario crescebat; subito tamen desiit, advecto commeatu cum navibus, quæ reliquam Philippi Augusti classem antecesserant. Die aprilis xiij[a],

« Sabbato post Domini Resurrectionem »,

advenisse Galliæ regem ait Monachus : jam mutatur rerum habitus bellique fortuna; rursusque et vivide urbem oppugnare destinatum est. Tunc autem relationem parumper excedit Monachus, de Ricardo Cœur de-Lion dicturus, qui

« Metuendus hostibus sicut feris pardus (2) »,

narraturusque subactam Cyprum, et captum illud *dromond* de quo multa dicta sunt, quodque, non vivis serpentibus, ut quidam ejus ætatis chronographi contenderunt, sed græcis ignibus, igneis serpentibus (3), oneratum erat. Acconem denique pervenit Ricardus, et recens defuncti Philippi Alsatiensis, Flandriæ comitis, stationem et machinas occupat :

(1) De quo sic loquitur anonymus supra citatus :

« Urbs Bisuntina quo præsule ridet, [et ejus
« Est experta satis urbs Aconensis [opem,
« Quo duce, victa fides bene respira- [vit, et hostes
« Perpetuo fidei succubuere jugo. »

(Bibl. Cæs. Par., supp. lat. n° 11340, v. 17-20.)

Huic autem parentes erant Ricardus de Monte-Falconis, comes de Monte-Beliardi, et Agnes de Burgundia-Lotharingia. (Dunod, *Hist. de l'église de Besançon*, I, 161; id, *Hist du Comté de Bourgogne*, II, 261.)

(2) V. 748.

(3) Cf. Ricord., *De Gestis Philippi Augusti* (SS. RR. Gallic.,

nihil tamen agit, ut ait Monachus, Gallique tantum virtutem suam ostendunt; primus scilicet Franciæ Marescalcus, nomine Albericus Clement du Mez,

« Miles strenuissimus, inclytus et fortis (1) »,

mortem subit, iniquo prælio congressus; namque, ait Monachus,

« Illuc omnis Asia manus acclinabat,
« Ubi sola Franciæ virtus impugnabat (2). »

Concluditur vero poema urbis deditione, cui causam assignat Monachus timorem Sarracenorum animos invadentem, ne vi caperetur oppidum, postquam christiani, suffossa turri quæ super Acconis campum eminebat et *Turris Maledicta* vocabatur, cuniculos egissent. Marchio igitur Conradus dedendæ urbis conditiones cum Salahadino paciscitur : tradituros se naves quadraginta, remissuros centum equites, et milites MD, veræque Crucis lignum restituturos, daturos demum ducenta millia aureorum, spondent oppidani; dieque julii undecima, vexilla regum Acconis mœnibus imponuntur (3). Hoc quidem loco terminatur Babenbergensis codex; quem vero supplent codex Oxoniensis et editus a J. Herold textus, quorum alter strophas XVIII, alter XXI adjicit, de discordiis inter Philippum Augustum et Ricardum Cœur-de-Lion, et de trucidatis ab hoc rege Sarracenorum obsidibus. Nihil tamen ibi novum et scitu dignum facta illa, jam aliis a fontibus comperta, magis illustrat, quamquam fuse distincteque captivorum supplicia describuntur, et notandum

XVII, p. 34); Ellis, *Engl. Metr. Romances*, p. 307.

(1) V. 801.

(2) V. 799-800.

(3)
« A natale Domini mille ducentorum
« Novem minus spatium fluxerat annorum;
« Accon, fere circulis obsessa duorum,
« Idus quarto Julii redditur annorum. » (V. 845-848.)

insuper est stragem illam a Monacho, non secus ac Guilelmi Tyrii continuatoribus, et Marino Sanuto (1), ante profectum Philippum Augustum, non post; ut existimatur in *Itinerario Ricardi* (2) et a Benedicto Petroburgensi (3), factam, narrari. De quo opere priusquam disputandi finem faciamus, idem quod incipientes notavimus animadvertendum est : nempe, ut opusculum hoc, postquam a J. Herold typis mandatum esset, fere omnibus sequentium ætatum historicis pene ignotum fuisse, ita codicem antehac manuscriptum innumeros illos sane compilationum auctores fefellisse, qui a XIII° ad XVI^um^ sæculum, multos locos ex oculatorum testium operibus ad verbum exscribentes, historias componebant. Sive igitur nihil, rhythmi causa, ex opusculo exscribi posset, sive reipsa vix ortum poema in Italiæ bibliothecis fuisset obrutum, utcumque est, nulli bibliographorum Medii Ævi, ne Johanni quidem Trithemio, cognitum fuisse; neque fere ulli eorum qui magna bellorum pro cruce gestorum chronica conscripserunt (inter quos præcipui Hernoul de Gibelet, Bernardus Thesaurarius et anonymus Guilelmi Tyrii continuator, Balduinus denique Avennensis et Alphonsus X Sapiens) suboluisse ullo pacto videtur. Ne ergo loquamur de incertis quibusdam rhythmi nostri vestigiis, sive in Marino Sanuto (4), sive in Sicardo Cremo-

(1) *Est. de Eracles*, XXVI, cap. 3. (Hist. des Croisades, II, p. 178.) Marinus Sanutus, *Secr. Fid. Crucis*, l. III, p. X, cap. 4 (Bongars, II, p. 198).

(2) *Itin. Ricardi*, III, cap. 23; IV, cap. 4; ed. Stubbs, pp. 239, 243.

(3) Ben. Petroburg., II, p. 670-675.

(4) Forte ea quæ narrat Maririnus de rerum pretio, durante obsidione (*Secr. Fid. Crucis*, l. III, p. X, c. 4 [Bong., II, p. 197]), et de navibus Danorum « quas *Esneches* appellant ». (Id., c. 3, p. 196.)

nensi et Sozomeno Pistoriensi (1), sive denique in germanico isto poemate, cui titulus « *Ludwigs den Frommes Kreuzfahrt* » (2), inscribitur, occurrentibus, unam modo de obsessa Ptolemaïde relationem, ab anonymo factam, eam nempe cujus supra aliquid tetigimus, cui, ob quædam, instar præfationis, de regibus Hierosolymitanis specialiter narrata, titulus hic inscriptus est « *Historia brevis de amissione et recuperatione Terræ Sanctæ* » (3), arbitremur forsan aliquantulum congruere cum Monachi poemate, cujus partes et præcipua facta contrahendo imitatur; quum vero id opusculum illa potissimum ætate scriptum sit, non absurdum fuerit, ut jam asseruimus, suspicari ab eodem auctore conditum, et, sicut rhythmum, patriarchæ Monacho tribuendum esse.

VII

DE RHYTHMI EDITIONE NOVA.

Jam facile intelligitur quomodo factum sit ut ille rhythmus, in umbra bibliothecarum delitescens et paucissimis codicibus ad nos traditus, nullis locis inculcatus et refectus vel interpolatus sit. Variæ quidem lectiones in codice Babenbergensi nonnullæ reperiuntur, quarum sane partem ignaro rudique codicis Hieronymiani librario, partem eis ipsis (Johanni videlicet Herold et Philiberto Poys-

(1) Sicard. Cremon. (Muratori, VII, 607), Sozom. Pistor. (Tartinius, I, p. 69), qui ambo, in Acconensi obsidione narrata, omnium coævorum historicorum Monacho proximi sunt.

(2) Cf. præsertim v. 3534-3540 (ed. Leipzig, p. 118) cum Monachi tetrast., nº XVI.

(3) Vide supra, p. 49.

scnot) qui codicem typis tradiderunt, imputemus oportet. In nostra autem editione, Babenbergensis codicis lectiones, Oxoniensis fragmenti auctoritate plerumque sancitas, Philib. Poyssenot et Joh. Herold scripturæ semper anteposuimus : ita in claram lucem restituuntur multæ sententiæ, barbaræ quondam et sensu omnino carentes; versus nempe LXII (Str. XVI)

« Suetis victi Frisones sustinent agonem »,

solus erat locus, in omnibus latinis chronicis, qui Suecos bellis pro cruce gestis interfuisse declararet, ideoque rationi omnino repugnabat : hunc, codicem Babenbergensem secuti, ita mutavimus;

« Snekkis (1) vecti Frisones sustinent agonem »,

quæ sententia etiam in « *Historia brevi* » (2), de qua nuper diximus, reperitur. In versibus, voces sæpius similiter desinentes sublatæ sunt, tredecimque syllabæ (3) et certa cæsura (4) ubique restitutæ. Præterea, strophas sex (5), quæ in editione typis mandata, seu ex industria, seu ob difficiliorem lectionem, claudæ erant, supplevimus. Addita est stropha una integra nº CLXXX; et illas, paucissimas quidem,

(1) Sic legitur in codice Babenbergensi et in fragmento eidem annexo; quæ vox « *Snekkæ* » (scandinavice *Snekkjur*) naves piraticas designat. Cf. Ducange, *Gloss. med. et inf. latin.*, v. NACA.

(2) « Nam, diebus paucis evo« lutis, venerunt Daci, Normanni, « Goti ceteræque gentes insula« rum .... navibus rotundis quæ « *Snekkie* dicuntur advectæ. » (Anon. *Hist. Brevis*, col. 1351.) Cf. Marin. Sanut., l. c.; *Itin. Ricardi*, l. II, cap. 32, ed. Stubbs, p. 189, et germanicam textus istius versionem in *Ludwigs d. Frommen Kreuzfahrt*, v. 550 et seq., ed. Leipzig, p. 19.

(3) Exceptis versibus aliquot, vel in codice Babenb. deficientibus (ex. : v. 318, 330, etc.), vel *synalœpham* requirentibus (ex. : v. 364, 422, 447, etc.).

(4) Paucis exceptis versibus (ex. : v. 368, 536).

(5) Stroph. 37, 90, 102, 125, 161, 175.

quæ, a codice Babenbergensi absentes, interpolatæ videri possent, uncis inclusimus. Strophis demum opus, codicis Oxoniensis exemplo, partiti, capita vel titulos et argumenta quæ solus dedit Herold, codices vero nostri non præbent, in margine altera separatim, in altera autem numeros, tum foliorum ex binis manuscriptis, tum paginarum ex editionibus desumptos, collocavimus. Nullis autem notis, si lectiones varias excipias, ne *typorum* elegantiam adulteraremus, textum obruere voluimus, ad calcem quidem appendicis nostri, rhythmi concordantiam cum earumdem rerum certissimo et ditissimo fonte, *Itinerario* scilicet *Ricardi*, studiosi cujusque ad usum, rejicientes. In textu ipso, nihil nostro arbitrio tetigimus, nisi quod, antiquiorem Babenbergensis librarii modum emendantes, *æ* pro *e* et *i* pro *y*, ubicumque opus erat, posuimus, locumque unum mutavimus, stropham scilicet quæ abest in Babenbergensi et Oxoniensi codicibus, in Heroldi autem textu nulla ratione intelligi potest. Ea quidem est stropha, iterum ad Frisones illos pertinens :

« Hi sulcatis fluctibus æquoris Hispani
« Ad urbem Acephalim venerant Melani,
« Ubi ducem statuunt sicut viri sani
« De Avienis Jacobum, licet essent Dani » (1).

Quum, in secundo versu, vocabula *Acephalim* et *Melani* sensu plane careant, in eorum locum illa supplevimus :

« Ad urbem acephali venerant Messani; »

cujus emendationis ipse nobis auctor est J. Herold, in « *Continuationis* » secundo libro, qui nihil nisi rhythmi soluta translatio est, stropham illam hac ratione interpretatus : « Interim Jacobus de Avienis per Gaditanum fre-

(1) Stroph. 17.

tum ingressus, in Siciliam delatus, quem Dani, Phrisii, Hollandi, Flandrique consecuti, apud Messanam classis suæ prætorem dicunt (1). » Quæ, a Joh. Herold desumpta, si conferantur cum iis quæ non recentiores historici, Sozomenus videlicet Pistoriensis (2) et Meyer in suis *Flandriæ Annalibus* (3), de iisdem asserunt, non absurdum erit arbitrari scriptum fuisse in ipso codice :

« . . . . acephali . . . . Messani; »

quæ vocabula, barbare sonantia, in typis edito poemate sane mutavit Herold, quamquam ea religiosissime in secundo « *Continuationis* » libro interpretatus erat.

Restat jam, ut, finem disquisitionis facientes, meritas grates viris egregiis iisdemque adeo benevolis, doctori Hawkins, in Orielensi Oxonii collegio præsidi, necnon doctori Strenglein, regiæ Babenbergensis bibliothecæ procuratori, qui nos amicissime in hac editione proferenda adjuverunt, animo prorsus obligato exsolvamus.

(1) J. Herold *Continuatio*, l. II, cap. 4, ed. 1549, p. 55.

(2) « Dum sic christiani pugnarent, ecce Jacobus de Avenis, vir valde strenuus, et cum « illo Frisonum classis, *qui cum* « *eo Messanam* societatem jura- « verant. » (Sozom. Pistor. ap. Tartin., SS. RR. Ital., I, p. 59)

(3) *Annal. Flandriæ*, l. VI, ed. Antv., p. 56.

DE EXPUGNATA ACCONE

HAYMARI MONACHI

LIBER TETRASTICHUS

INDEX

CODICUM MANUSCRIPTORUM ET LIBRI TYPIS MANDATI QUIBUS USUS EST EDITOR.

(B) Cod. ms. Bibl. Reg. Babenbergensis. (n° B. IV. 29 fol.) membr. Sæc. XIII.

(b) Fragmentum membranac. codici (B) annexum.

(O) Cod. ms. Bibl. Colleg. Orielani Oxoniensis. (n° $\frac{858}{2}$. fol.) membr. Sæc. XII.

(H) Heroldiana editio utraque, ad calcem « *Continuationis Belli Sacri* », Basileæ, an. d. MDXLIX.-MDLX., typis mandata.

JOHANNIS BAS. HEROLD

HOCHSTETTENSIS

EPISTOLA DEDICATORIA (1)

Conrado Wescher, Hospitali sacrarum ædium in Benviller curatori

Johannes HEROLD Hochstettensis. S. D.

Qui hospitalitatem laudant, Conrade optime, ij certe et sancte mihi facere videntur, et eam quidem virtutem extollere, quam inter omnes alias omnis ætas, omnis persuasio, omnis Respublica bene instituta semper admirata est, atque in summa habuit veneratione. Quis enim nescit magnos illos viros, Abrahamum atque Loth, hac una suis temporibus omnium sibi animos devinxisse? Certe apud Hebræos, qui sanctissima et certissima religione imbuti fuerunt, id Ecclesiastis et Hesiodi, in omnium ore vulgatum, jactabant, hospitio fratrem fieri. Christus ipse inhospitalibus comminat. Paulus, qui sacris præsunt, ab hospitalitate laudat. Græci olim Iovi Xenio templum constituerant, uno illo opere, quam alio quovis, magis eum placari existimantes. Imo in mulierculis, etiam infamis conditionis, laudari ea meruit; quandoquidem alia nulla ratione Raab Hiericuntina et Canusina illa Paula clareant. Hinc quoque Molorchi, Iani atque Evandri, atque adeo totius Germaniæ olim nomen tam celebre, quod etiam Tacitus maxime probat, « Convictibus, inquiens, et hospi-
« tiis non alia gens effusius indulget : quemcumque morta-
« lium arcere tecto, nephas habent (2). » — Quorsum hæc? inquies. — Ut ostendam, Conrade optime, me haud tam stupidum esse quin id in te amplecter temere, quod summo

(1) *Belli Sacri Continuatio* (ed. 1549), p. 232.
(2) Tacitus, *De moribus Germanorum*, cap. 21.

jure commendant omnes ac in te exosculantur, hospitalitatem scilicet illam tuam, decorum liberalitatis genus, qua omnes tui ordinis viros amplissimos, si non superas, certe facile æquas. Nec etiam volo me ita ingratum haberi, quod prima quaque occasione, gratiam tibi referre intermittere velle videar, cum liberale hospitium tuum ultro ipse mihi sæpius exhibueris. Accipe igitur, Conrade, tesseram hospitalem, Monachi scilicet Florentini, Acconensis olim archiepiscopi, de recuperata Ptolemaida Rhythmum, quem, ante annos ter centum quinquaginta scriptum, Philipertus Poyssenetus, ad Phanum D. Morandi præpositus, vir integerrimus, una cum belli sacri a Guilhelmo Tyrensi Archiepiscopo scripta historia, nobis obtulit. De metri genere nihil hic disputandum ; nosti enim ipse circa sonum versari rhythmum, et uno plasmate valere, pedum autem divisionem non anxie requirere. Historiæ vero veritas (cujus etiam in lib. 2 continuatæ nostræ historiæ mentio fit), quæ autoris, qui ipse rebus interfuif, experientia nititur, scripti denique antiquitas, suam habet et peculiarem cum commendatione majestatem, cui si, propter ingenii mei tenuitatem, nihil accedet, si, quod eumdem tibi dedico co-secroque, nihil nomini tuo splendoris accrescet, mihi tamen vel hæc satisfacient, quod, utut sit, autorem in luce bona fide ediderim, quod te animi mei gratitudinem magis amplexurum quam barbariem meam respecturum novi. Certus sum quoque Udalricum Schmid, arcis Dorneck, atque Ursum illum Ruchtium, præsidii Tierstein præfectos, fratres scilicet uterinos, viros optimos, et Gregorium Meyerum, musicum excellentissimum, apud Salodurum urbem (ut antiquitate venerandam, sic libertate et bonis institutis hodie celebratissimam) nauliopsalten, studium hoc in te meum maximopere probaturos; quorum quidem calculus suffragiorum multorum loco esse jure mihi debetur, ita ut æmulorum morsus nihil amplius morer. His Heroldi hospitis tui memor, Vale.

DE EXPUGNATA ACCONE

HAYMARI MONACHI

LIBER TETRASTICHUS

I

Dum [1] Romanus pontifex degeret [2] Veronæ (H) p. 233. (125) col. 1. (B) f. 143 r. col. 1. (b) f. 5 r. c. 1.
Urbanus, memoriæ atque famæ bonæ,
Saladinus impius, absque ratione,
Occupavit Syriam fera ditione.

II

Urbe Tyberiadis [3] armis expugnata [4],
Cætera sunt mænia sibi [5] sponte data.
Non est opus lancea, non est opus spata;
Sic ei subveniunt cum fortuna fata.

1 *Dum*, H. — 2 *præsidet*, H. — 3 *Tyberiade*, H. — 4 *subjugata*, H. — 5 *sibi*) add. H.

III

Urbe tamen Tripolis [1] non fuit potitus,
Nec quibusdam aliis juxta [2] maris littus.
Nam tutavit [3] Marchio, jussu Dei citus
Urbem Tyri, veluti [4] conjugem maritus.

IV

Expugnavit postea urbem Ascalonem,
Donec eam [5] compulit ad deditionem.
Incolis Ierusalem dat conditionem,
Ut dent censum propriam in redemptionem.

V

Ad Sepulchrum vetuit [6] ire Christianis,
Sanctam ac [7] vivificam crucem dat paganis;
Dumque miscet improbus [8] sacra sic [9] profanis,
Ecce nos aspicimus, sanctum [10] lambit canis.

VI

Quomodo, fama veniente ad Occidentem, reges alii sumpserint crucem.

Fama volans venit ad partes [11] Occidentis,
Universos animans [12] christianiæ gentis,
Ad succursum [13] properent ut omnipotentis,
Qui solus præcipere mari scit et ventis.

VII

In primis rex Franciæ atque rex Anglorum
Crucis venerabile signum [14] et decorum
Suis figunt humeris. Sed succursus horum [15]
Tardus est [16], dum nimium servant [17] domi torum [18].

1 *Tripoli*, H. — 2 *secus*, H. — 3 *defendit*, H. — 4 *velut*, H. — 5 *eos*, B. b. — 6 *nocuit*, H. — 7 *et*, H. — 8 *improbe*, H. — 9 (*sic*) Deest in H. — 10 *sacrum* B, b. — 11 *petiit fines*, H. — 12 *Universas animas*, H. — 13 *occursum* B, b. — 14 Sic B, H. *Venerabile signum crucis*, b. — 15 *Chlatratus quorum*, H. — 16 *Succursus*, H. — 17 *servat*, B. — 18 *domitorum*, H.

VIII

Fredericus, inclytus princeps Romanorum,
Triumphator bellicus [1], victor præliorum,
Habito consilio, per regnum Græcorum,
Ad strages accelerat hostium dirorum.

IX

(B) f. 143 v. col. 2.

Cum eodem properant pugnatorum [2] flores,
Certatim accelerant viri bellatores,
Vulgus cum proceribus, cum magnis minores.
Terra, mari resonant crucis portitores.

X

De exilio Domini Adelardi, Veronensis episcopi, sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ cardinalis.

Cardinalis presbyter, pontifex Veronæ,
Adelardus, opere clarus et sermone,
Exulat tunc temporis, hac intentione,
Ut pugnare doceat nos [3] pro ratione.

XI

Fert Summi Pontificis hic legationem,
Ut hortetur [4] viros ad transfretationem.
Sed ut ejus melius capiant sermonem,
Ipse crucem suscipit, currens ad agonem.

XII

Comitantur præsulem multi boni viri [5],
Strenui militia, probitate miri,
Non oportet nomina quorum hic inquiri.
Quod cum eo venerint tamen, potest sciri.

1 *habitus*, H. — 2 *bellatorum*, H. — 3 *nos doceat*, H. — 4 *arceat*, H. — 5 *viri boni*, B.

XIII

Pontum a Veneciis navibus sulcantes, (H) p. 233 (225) col. 2.
Et die tricesimo Tyrum applicantes,
Christianos Accaron mœnia vallantes,
Vallatos accepimus, sese [1] vix tutantes.

XIV

Quomodo Guido, rex Hierosolymitanus, venit ad obsidionem Acconis.

Postquam enim venit rex de captivitate, (b) f. 5 r. col. 2.
Non est usus postea Tyri [2] civitate.
Inter eum lites sunt et Cunradum natæ [3],
Quas Pisani frustra flent, pulsi civitate.

XV

Cum quibus et aliis universis fere
Peregrinis, venit rex Accon [4] obsidere.
Sed a tergo tertia die gemuere
Saladinum acrius eis [5] imminere.

XVI

Quomodo Saladinus expugnavit regem, Frisonibus sustinentibus agonem.

Quos instanter dimicans pellit in Turonem [6].
Sneccis vecti [7] Fresones [8] sustinent agonem,
Quos stella deduxerat in simul Acconem,
Magis quæ monstraverat Judæ regionem.

XVII

[Hi, sulcatis fluctibus æquoris Hispani,
Ad urbem acephali venerant Messani [9],
Ubi ducem statuunt, sicut viri sani,
De Avienis Jacobum, licet essent Dani [10].]

1 *seque*, H. — 2 *Tyro*, U. — 3 *motæ*, H. — 4 *Accaron*, B, b. — 5 *Tyronem*, B, b. — 6 *Suetis victi*, H. — 7 *Frifones*, H. — 8 *Ad urbem Acephalim venerant, Melani*, H. quem versum nostra auctoritate emendandum suscepimus. — 9 Tetr. XVII d. in B, b. — 10 *Deum*, H.

XVIII

Quomodo nostri mittunt pro Marchione, ut succurrat eis.

Cum [1] nostrorum paucitas nequit ultra pati (B, f. 113. v col. 1.
Tot incursus hostium, nobiles legati
Tyrum missi protinus se committunt rati,
Ut succurrat Marchio Christianitati.

XIX

Sine mora Marchio jubet præparari [2]
Cuncta necessaria, naves onerari.
Et quia non poterat [3] terra, venit mari,
Fluctibus ut Boream vidit [4] dominari.

XX

Nos cum eo venimus, gratanter recepti
Ab his qui tunc fuerant ibidem collecti [5];
Nostri licet undique forent circumsepti [6],
Ad pugnam communiter tamen [7] sunt erecti.

XXI

Ergo diem statuunt certam, qua pugnarent.
Cumque Turcos eminus a [8] castris fugarent,
Congregati protinus hi post terga parent [9],
Nostrique victoria, quam sperabant, carent [10].

XXII

Milites Templarii Turcis restiterunt,
Et illorum [11] plurimi mortui fuerunt.
Nostri fugam turpiter [12] ad castra dederunt,
Sed qui pigri fuerant, ibi remanserunt.

1 *Dum*, H. — 2 *præparati*, H. — 3 *potuit*, H. — 4 *videt*, H. — 5 *recepti*, H. — 6 *circumsecti*, B. — 7 *tamen communiter*, H. — 8 *De*, H. — 9 *parerent*, H. — 10 *carerent*, H. — 11 *Ex illis*, H. — 12 *turpiter fugam*, H.

XXIII

In diebus aliis [1] sit hæc execrata
Maledicta dies; hæc maledicta fata,
In hac die nobis sunt quæ sic adversata;
Sed credo quod accidit ob nostra peccata.

XXIV

Quando vallavimus nos fossatis, Saladinus ante diem nos invasit.

Habito consilio, fecimus fossata, (H) p. 231-(226) col. 1.
Ab utroque littore circum occupata,
Saladinus valida manu roborata
Nos [2] invasit, antea quam [3] lux esset nata.

XXV

Sed nil ei profuit, nosque læsit parum;
Imo sibi contigit, quod fuit amarum.
Unde tristis rediit, plenus et irarum,
Sed de suo reditu nobis fuit carum.

XXVI

De instrumentis paratis et viis subterraneis ad capiendam civitatem.

Nostri turres ligneas facere cœpere. (B) f. 143. v. col. 2.
Gattos et arietes fieri jussere.
Machinas, testudines erigi fecere,
Vias subterraneas quidam effodere [4].

XXVII

Sed nil hæc nec [5] alia nobis profuerunt,
Inter se dividere dum barones quærunt
Terras, quæ tunc temporis Turci possederunt.
Nec de illis usque tunc quidquam perdiderunt [6].

1 *Inter dies funebres*, H. — 2 *Hos*, H. — 3 *antequam*, B. — 4 *caperunt, jusserunt, fecerunt, effoderunt*, H. — 5 *vel*, H. — 6 *amiserunt*, H.

XXVIII

De Turcis obsidentibus nos die noctuque.

Semper nos ad foveas Turci perurgebant, (b) f. 5. v. col. 1.
Ventus, nox et [1] pluvia non hos retrahebant.
Nec illi de mœnibus semper dormiebant,
Imo vicem acrius pro vice reddebant.

XXIX

De quinquaginta galeis intrantibus civitatem et probibentibus nobis mare.

Die prima Domini post Nativitatem,
Colunt Sancti Stephani quam festivitatem,
Quinquaginta galeæ, contra voluntatem
Dec. xxvi Intraverunt omnium, per vim, civitatem.

XXX

Proh dolor! nunc [2] incipit noster geminari
Labor, et miseria nobis cumulari.
Nam cum ante libere frueremur mari,
Cum terra jam incipit [3] aqua [4] denegari.

XXXI

Quomodo Turci insultabant nobis convicia cruci inferentes.

Si ferire tympana tubasque sonare
Videres, et vocibus Turcos reboare,
Cum galeas agitant ante nos, per mare,
« Heu, heu, Deus! » [5] diceres, « Hoc permittis, quare? »

XXXII

Milites aspiceres super muros stantes
Turcos, Sanctam manibus Crucem elevantes,
Cum flagellis asperis eam verberantes,
Et cum improperiis nobis minitantes.

1 *nec* H. — 2 *tunc*, H. — 3 *incipit jam*, H. — 4 *mare*, H. — 5 (*Deus!*) d. in H.

XXXIII

Quomodo Marchio vadit Tyrum pro reparandis galeis in tanto periculo.

Habito consilio. galeam repente
Unam Januensium, nocte sub silente,
Est ingressus Marchio, vir robustus mente,
Tyrum ut acceleret, Affrico [1] pellente.

XXXIV

Datas [2] mille millies marcas Marchioni, (B) f. 111, r. col. 1.
Argenti purissimi atque valde boni,
Ut tunc ei [3] debeat [4] onus hoc [5] imponi,
Eas certe penderet non uni peponi.

XXXV

Illum [6] tamen Marchio subire laborem
Non vitavit, omnium patris ob amorem,
Ad totius populi laudem et honorem,
Et culparum illius pœnam mitiorem.

XXXVI

De variis periculis et pestibus accidentibus, nostris in exercitu remanentbus.

Scias in exercitu quod qui remanserunt (H) p. 231 (226) col. 2
Omnes in periculo mortis extiterunt.
Hyemem sic asperam nam passi fuerunt,
Quod vidisse similem nec antiqui ferunt.

XXXVII

Imbris, torrens validus, terram inundabat;
Quando furens [7] Affricus mare perturbabat,
Evulsa tentoria cuncta laniabat,
Cum paxillis funditus vel eradicabat [8].

1 *Aphrico*, H. — 2 *Si des*, H. — 3 *et tunc*, H. — 4 *debeant*, B. — 5 *hoc opus*, H. — 6 *Istum*, H. — 7 *Bacchanalis*, H. — 8 Versum 148 add. B. b.

XXXVIII

Ubi tandem tenebam cum dentibus.

Si confratres mei tunc ibidem [1] fuissent
Et tenere dentibus me [2] tandem vidissent,
Horum quidam, reputo, super me risissent,
Sed [3] eorum plurimi pro me doluissent.

XXXIX

Esse mallet quilibet sine aqua rasus,
Quam pati, quot [4] passus sum, tot adversos [5] casus.
Non mihi tunc somnia dictabat Parnasus,
Cum a cibis triduo [6] jejunat omasus.

XL

Accessit et aliud nobis nocumentum, (b) f. 5, v. col. 2.
Ad pœnarum cumulum, et majus augmentum.
Licet portes manibus aurum et [7] argentum,
Ordeum non invenis, carnem aut [8] frumentum.

XLI

Nondum vixit aliquis, nec vivit mortalis,
Graviora viderit his quæ mala malis.
Nam vini vel olei modicum vel salis
Vendebatur carius quam vestis regalis.

XLII

Vidi decem solidos pro gallina dari, (B) f. 144 r. col. 2.
Seb bovinas carnes bis feci [9] comparari [10],
In eodem pondere [11] pretioque pari,
Mart. xxij xxiv Cum Paulus in azimis jubet epulari.

1 *Ibi*, B. — 2 *tenere tendam me dentibus*, B. — 3 *Si*, B. — 4 *quod*, B. — 5 *adversus*, H. — 6 *vacuus*, H. — 7 *vel*, H. — 8 *nec*, H. — 9 *feci his carnis*, H. — 10 *comparati*, H. — 11 *tempore*, B. b.

XLIII

Qui nummatam [1] voluit carnis coquinare,
De lignis oportuit quinque [2] comparare;
Tres in ovo [3] dederam nummos, quod lixare
Volens, ligna [4] contigit totidem [5] constare.

XLIV

Si quando contingeret, aliquem ægrotum,
Fama licet nominis gloriosi notum,
Tyrum qui secedere [6] tunc haberet votum,
Quod habebat, convenit nautis dare totum.

XLV

Delicate vivere domi qui [7] solebat,
Ibi fabas, cetera [8], non fastidiebat,
De bis cocto sæpius pane sed famebat [9],
Carnem quoque marcidam avidus [10] edebat.

XLVI

Qui præsentes aderant poterant videre
Variis languoribus homines tabere [11];
Sed nec equi pestibus diris caruere,
Pars eorum maxima quare [12] periere.

XLVII

In diversa studia nostri se scindebant,
Nam eorum [13] plurimi foras exiebant,
Mori bello quoniam quam fame [14] malebant,
Herbam quoque, stipulam, simul [15] referebant.

1 *Minima jam*, H. — 2 *duas*, H. — 3 *ovis*, B, b. — 4 *lingua*, H. —5 *totidem contigit*, H.— 6 *quod succedere*, B.— 7 *qui domi*, H.— 8 *et siceram*, H. — 9 *Sed de pane bis cocto sæpius famebat*, H. — 10 *avidius*, H.— 11 *languere*, H.— 12 *fere*, H — 13 *illorum*, H.— 14 *quam fame quoniam*, H. — 15 *ligna*, H.

XLVIII

E converso reliqui timentes pugnare,
Rationes visi sunt pro se allegare :
Illis esset tutius [1] quam exire, stare,
Dum Cunradum velle se dicunt expectare.

XLIX

De reditu Marchionis et reconciliatione cum rege Guidone.

(II) p. 235. — (227) col. 1.

Præterlapso spatio mensium duorum,
Cum immenso Marchio numero [2] virorum;
Nobis indigentibus apportavit forum,
Ubertatem insuper omnium bonorum.

L

In adventu fuimus ejusdem lætati [3],
Nam in urbe postea Turci sunt serati.
Sunt amici Marchio rexque copulati,
Et pugnare cuncti [4] nos sumus relevati [5]. (B) f. 144. v, col. 1.

LI

Quomodo castella trahuntur ad civitatem.

Castella vehiculis ad urbem trahuntur.
Machinarum ictibus muri colliduntur.
Civitatis incolæ mortui sternuntur,
Et de nostris simile multi [6] patiuntur.

LII

Heu! heu! variabilis nimis est fortuna.
Cum [7] videtur stabilis, hora ter in una
Permutatur, sæpius [8] quam in orbe luna,
Et relinquit hominem sub ardente [9] pruna.

1 *tutius esse*, H. — 2 *numero Marchio*, H. – 3 *ejus fuimus gratulati*, H. — 4 *ad pugnandum quoque*, H. — 5 *animati*, H. — 6 *plures*, H. — 7 *Dum*, H. — 8 *levius*, H. — 9 *In fervente*, H.

LIII

Dum speramus etenim urbi [1] dominari,
Rex permisso Domini [2] cœpit variari.
Ignem ecce cernimus machinis jactari
Super ædificia, cunctaque cremari.

Quæ seq desunt in (b').

LIV

Lamentantur [3] milites, plangunt servientes,
Et suspirant [4] pedites, præ dolore flentes.
Se barones laniant, capillos vellentes [5],
« Heu! heu! » cuncti clamitant, pectora tundentes.

LV

De tribus maximis præliis factis in Asc. et Pentec. et Sabb. post Pent.

Mai. xiij

Ad hoc, in sanctissimo die Pentecostes,
Nos ab omni latere circumdabant hostes,
Nitentes irrumpere fovearum postes,
Nec est locus vacuus a sagittis, quo stes.

LVI

Mai. iij — Idem nobis fecerant in Ascensione,
Mai. v — Necnon post in sabbato, et tunc in agone
Pugnarunt viriliter homines Veronæ,
Memores Ferrariæ tali die pronæ.

LVII

Quomodo, Turcis cum galeis intrantibus civitatem, nostri nequiverunt resistere.

Jun. xiv

Dum fortuna terimur nimium agresti,
Martyrum vigilia Viti et Modesti
Turci truces nimium nobis et [6] infesti
Intrant urbem navibus, unde sumus mœsti.

1 *urbe*, H. — 2 *Fortuna mutabilis*, H. — 3 *suspirabant*, B. — 4 *Lamentantur*, B. — 5 *barbam evellentes*, H. — 6 *et nobis*, H.

LVIII

Armis, victualibus [1] muniti venerunt, (B) f. 144. v. col. 2.
Nostri quibus obviam classibus iverunt.
Sed eis resistere dum non potuerunt,
Utrobique mutuo dampnum [2] pertulerunt.

LIX

Jul. 1. De duobus insultibus factis super galeis nostras, nisi duas galeas eorum cepimus, nec postea ausi fuerunt exire.

Summo mane, julii die [3] calendarum,
Et in quadam alia præcedente parum,
Cum immensa copia Turci [4] galearum,
Longe foras exeunt a Turre Muscarum.

LX

Super nostros faciunt acriter [5] insultum,
Jacientes in eos [6] ignem in occultum,
Sed hoc aliquantulum obfuit [7], nec multum,
Verum non diutius stetit hoc inultum.

LXI

Duas enim galeas nostri sunt lucrati, (H) p. 235 — (227) col. 2.
In quibus sunt plurimi Turci trucidati.
Unde sic [8] sunt reliqui tamque perturbati,
Quod exire taliter post hoc non sunt rati.

LXII

Quando veros rumores de Imperatore audivimus, et quomodo, per Ungariam et Bulgariam intrans, Græciam depopulatus est.

In eodem tempore nuncii venere
De Romano principe, vera qui dixere;
De quo quia contigit sermonem habere,
Prælibandum arbitror, quod hi retulere.

1 *nobilibus*, B — 2 *damna*, H. — 3 *die julii*, H. — 4 *Turci copia*, H
5 *acrius faciunt*, H. — 6 *eis*, H. — 7 *nocuit*, H. — 8 (*sic*) d. in H.

LXIII

Ergo postquam inclytus princeps Romanorum
Intravit monarchiam regis Ungarorum,
Ubertatum [1] omnium dat rex ei [2] forum,
Donec eum ducit [3] ad terram Bulgarorum.

LXIV

Postquam [4] passus plurimas est [5] adversitates,
Bulgarorum varias ob dolositates,
Ad Græcorum pervenit donec [6] civitates,
Ubi Græci comperit regis simultates.

LXV

Eum nam deceperat Græcus imperator,
Pacti, quod promiserat, factus depravator,
Nam sibi promiserat quod esset tutator
Ejus, et commercii fidus venundator.

LXVI

Propter hoc exercitus noster expugnator B f. 145. r col. 1.
Regni [7] sui factus est, atque populator [8],
Et cunctarum gentium [9] ferus deprædator,
Insuper et hominum dirus [10] trucidator.

LXVII

Ut vacare plenius possit [11] ultioni,
Et, punitis incolis, instet [12] regioni,
Suæ Cæsar providens expeditioni [13],
Hyemandum ibidem indicat [14] tyroni.

1 *Ubertatem*, H. — 2 *et*, H. — 3 *duxit*, H. — 4 *Per quam*, H. — 5 *est plurimas*, H. — 6 *donec pervenit*, H. — 7 *Regis*, H. — 8 *spoliator*, H. — 9 *mercium*, H. — 10 *sævus*, H. — 11 *valeat adhuc*, B. — 12 *instat*, B. — 13 *expectationi*, H. — 14 *indicat ibidem*, H.

LXVIII

Cæsaris moram nobis hic disce dolosam.

Moram importunitas temporis et mensis
Suadebat, et copia se diffundens mensis,
Quod totum exercitus luit [1] Acconensis,
Quem sagitta sauciat, quem castigat ensis [2].

LXIX

Mart. 25.

Tandem circa Domini Resurrectionem,
Talem Cæsar recipit compositionem,
Ut dent Græci naves ad transfretationem,
Festinantes [3] Græculi complent jussionem.

LXX

Quomodo Soldanus Iconii voluit eum prodere, sibi datis obsidibus.

Dum Sancti Georgii brachium transisset
Cæsar, atque fidei obsides cepisset,
A [4] Soldano proditus ab eo fuisset,
Ni divina gratia eum præcessisset.

LXXI

Dum enim Iconium tuti properarent,
Assistebant undique Turci, qui vetarent
Omnia commercia, hosque trucidarent,
Vel a longo [5] potius eos sagittarent.

LXXII

Circumseptis taliter viris christianis,
Hac illac volantibus Turcis et paganis,
Elapsis ex integro tribus septimanis,
Major pars exercitus nil comedit panis.

1 *luit exercitus*, H. — 2 v. 275-276 pro 273-274 et vice versa, B. — 3 *festinant*, H. — 4 *Ac*, B. — 5 *eminus*, H.

LXXIII

Quomodo expugnaverunt Iconium.

(H) p. 236 — (228) col. 1.

[Cæsar exercitui retro providebat,
Sed illius filius ante præcedebat,
Quo duce Suevia inclyta gaudebat.
Hic primas incolumis acies agebat.] [1]

LXXIV

Cujus ad insignia nostri cohortantur [2];
Dissipati cunei hostium fugantur.
Dux intrat [3] Iconium : omnes comitantur,
Superatis hostibus, urbi dominantur.

LXXV

(B) fol 145. r. col. 2.

Soldanus, resistere cernens esse durum,
Cum thesauris oppidum fugit in [4] securum,
Et spondet commercia cunctis [5] se daturum,
Dum Augustum videat inde recessurum.

LXXVI

Quomodo in Armenia mortuus est Imperator, in Salefico flumine.

Abhinc in Armeniam transiit [6] amœnam
Ubertatum reperit quam cunctarum plenam.
Nam de fonte divite trahit ipsa venam :
Hæc [7] frumentum sibi [8] dat et equis avenam.

LXXVII

Quid profuit Imperatori quod intraverit mare.

Vitæ tamen illius hoc dolos [9] paravit,
Dum in parvo gurgite hunc solum [10] necavit.
Dic, sibi [11] quid profuit quod mare vitavit,
Ab aquis Salefici dum non sibi cavit?

1 Tetr. LXXIII d. m. B. — 2 *Christiani populi acies parantur*, B. — 3 *Tunc intra*, H. — 4 *fugit in oppidum*, H. — 5 *cunctis commercia spondet*, H. — 6 *transit*, H. — 7 *Nec*, B. — 8 (*sibi*) d. in H. — 9 *dolos hoc*, H. — 10 *solum hunc*, H. — 11 *mihi*, H.

LXXVIII

Dictus est Saleficus, quasi [1] factus sale,
Dicatur maleficus, quasi [2] fidus male.
Salum maris timuit [3], quasi [4] sit mortale,
In salo Salefici solum dicit vale.

LXXIX

[O, dico, fallacia cum fortuna fata!
In Romano principe nimis debacchata,
Quem non possunt sternere lancea vel spata,
Morte cita rapiunt et inopinata.

LXXX

O fata! sententiam nostram permutate,
In Romano pontifice secus judicate.
Ab aquis Salefici illæsum servate,
Et hunc armis potius quam aquis necate.] [5]

LXXXI

Romanorum principi et [6] imperatori
Diceretur potius et esset [7] honori,
Rutilante sanguine quam in aquis mori,
Suis nec principibus hoc esset [8] terrori.

LXXXII

Nam, ut verum fatear, quod mihi dixere
Qui secum tunc temporis ibidem fuere,
Universi principes ita timuere,
Quod illorum [9] plurimi mare transiere.

1 *quia*, H. — 2 *quia*, H. — 3 *tremuit*, H. — 4 *quia*, H. — 5 Tetr. LXXIX-LXXX d. in B.—6 (*et*) d. in H.—7 *Ampliori longius cederet*, H. — 8 *esset hoc*, H. — 9 *ex illis*, H.

LXXXIII

[Cur sublato principe, principes, timetis?
Cum Domnus mirabilis in suis athletis,
Occultis judiciis sibique secretis,
Hunc ad suæ gloriam traxerit quietis.] [1]

LXXXIV

Quomodo exercitus ejus veniens Antiochiam per crapulam mortuus est fere totus.

Post hæc [2] Antiochiam ceteri [3] venerunt,
Et ducem Sueviæ sibi præfecerunt.
Francorum baronibus nuncios miserunt,
Et [4] ab his consilium sibi petierunt.

LXXXV

Major et præcipua pars Teutonicorum,
Non attendens regulam hic aphorismorum [5],
Multum et repente se dum replet ciborum,
In brevi deleta est de sorte vivorum [6].

LXXXVI

Nam cum per inopiam essent vacuati, (B) f. 145. v. col. 1.
Postea per copiam nimis crapulati [7],
Non est præter physicam, si sint infirmati
Et de hujus sæculi tædio sublati. (H) p. 236 — (228) col. 2.

LXXXVII

Quomodo Marchio vadit ad eos Antiochiam.

Habito consilio, nostri Marchionem
Mittunt Antiochiam, ut ducat Acconem,
Per talem Teutonicos viros regionem,
Ut nullam incurrere possent læsionem.

1 Tetr. LXXXIII d. in B.—2 *Omnes*, H. – 3 *alii*, H.— 4 (*Et*) add., B. — 5 *a foris morum*, H. — 6 *virorum*, H. — 7 *epulati*, H.

LXXXVIII

Qui sine periculo cernens se nequire
Acconem ulterius per terram redire,
Parat cum exercitu navibus venire,
Sinit tamen antea [1] septembrem exire.

LXXXIX

Quomodo nostri pedites occisi sunt in festo sancti Jacobi.

Jul. 25.

Ejus in absentia nobis accidere
Plurima, quæ postea inulta stetere,
Nam in festo Jacobi nostri exiere
Pedites, et hostium castra irruere.

XC

Turci nimis providi, nimisque sagaces,
Urunt tabernacula, submittentes faces.
Nostri nimis avidi, nimisque voraces,
Certant cuncta rapere, ut lupi rapaces.

XCI

Quos ut Turci taliter vident facientes [2],
Vident neque [3] milites eos subsequentes,
Ordinatis cuneis, in hos irruentes,
Plusquam quinque millia morti dant ferientes [4].

XCII

Licet bene essent armati, tamen culpa sua et militum mortui sunt.

Sic erant hi pedites bene loricati,
Balistis et arcubus decenter ornati [5],
Quod nunquam ab hostibus essent superati
Ni quod venit ultio nostri peccati [6].

1 *postea*, H. — 2 versum 361 add. H. — 3 *Neque vident*, H — 4 *sternentes*, H. — 5 *armati*, H. — 6 *Si posset ordinibus repugnare fati*, H.

XCIII

Anhelantes pedites nostri fugiebant,
Equis vecti levibus, Turci præcedebant,
Sed qui retro venerant nostros prosternebant,
Sine ictu etiam plures corruebant [1].

XCIV

Si succursum milites eis [2] præstitissent, (B) f. 145. v. col. 2.
Sarracenos turpiter in fugam vertissent,
Et illi de mœnibus ita timuissent,
Quod cum rebus omnibus urbem reddidissent.

XCV

Quomodo illi de civitate exeunt et eum Hospitalariis confligunt.

Sed ut nostros taliter vident [3] effugari,
Non oportet quærere si possunt lætari.
Non enim existimant Turcos refrœnari,
Donec nostra videant castra concremari.

XCVI

Ut augmentum igitur nostris darent malis,
Exeuntes januam partis borealis,
Obviant militibus primum Hospitalis,
Inter quos conficitur pugna manualis.

XCVII

Hospitalis milites ab equis descendunt,
Ut ursa pro filijs cum Turcis contendunt.
Turci nostrum aggerem per vim bis conscendunt.
Hos sagittis sauciant, hos igne succendunt.

1 *corruerunt*, H. — 2 *eis milites*, H. — 3 *vident taliter*, H.

XCVIII

Tunc [1] Hospitalarij equos ascenderunt,
Et a maris latere Turcos [2] invaserunt,
Quos ad urbis mœnia per vim reduxerunt,
Et ex his in foveis plures [3] occiderunt.

XCIX

Quomodo Turci palam et clam intrabant civitatem.

Ad [4] hoc infortunium aliud accessit [5]. (H p. 237 - (229) col. 1.
Plena victualibus ad portum accessit
Navis, dumque sæpius quæritur unde sit,
Velum hæc reficiens, in villam discessit.

C

Vidi post hanc alias tres palam venire,
Et galeas obviam illis nostras [6] ire.
Nequiverunt tamen sic eas [7] impedire,
Quod vetarent mœnia urbis introire.

CI

Intus [8] noctu sæpius ingrediebantur,
A nostris multotiens sed capiebantur,
Et ereptis spoliis ipsi necabantur.
Alii propterea sed non turbabantur [9].

CII

De variis instrumentis nostris frustra consumptis.

Post hæc, turres, machinas, nobis combusserunt. (B) f. 146. r. col. 1.
Tuncque nostri ligneam turrim [10] deduxerunt
Ad Muscarum Turrim, sed eam non læserunt,
Nimis cito quoniam [11] navem succenderunt.

1 *Et*, H. — 2 *Turcos a latere maris*, H. — 3 *multos*, H. — 4 *Post*, H. — 5 *successit*, H. — 6 *nostras illis*, H. — 7 *eas tamen sic*, H. — 8 *Item*, H. — 9 *Ob hoc tamen alii nunquam terrebantur*, H. — 10 *ligneum castrum*, H. — 11 *quia*, H.

CIII

Item barcam dirigunt facibus succensam
In illorum validam classim condensatam [1],
Cum qua navem concremant illorum immensam.
Cito Turci vindicant verum [2] hanc offensam.

CIV

Nam cum nostri segniter et minus attente [3]
Starent ad custodiam in die sequente,
Ipsi [4] turrim ligneam succendunt [5] repente,
Cum navi, quam fecimus, ipsam deferente.

CV

Ad hæc barca, desuper trabibus celata [6],
Dum ad turrim ducitur, fuit naufragata.
Instrumenta cetera, ad idem parata,
Sunt hoc modo perdita, vel igne cremata.

CVI

De adventu comitis Henrici Campaniæ.

[Catervatus militum numerositate,
Campaniensis venerat ea tempestate
Comes, et exercitum in necessitate
Sumptibus innumeris roboravit late.

CVII

Attamen consilio fretus levitatis,
Forte per audaciam juvenis ætatis,
Paucis victualibus secum apportatis,
Summæ nobis præstitit causam egestatis] [7].

1 Add. hunc versum, B. — 2 *tamen vindicant*, H. — 3 *intente*, H. — 4 *Turci*, H. — 5 *concremant*, H. — 6 *trabibus desuper velata*, H. — 7 Tetr. CVI et CVII d. in B.

CVIII

De ariete, ferro cooperto, quem Bisuntinus (archiep.) fieri fecit, et de igne Græco, a quo combustus fuit.

Quid de Archiprosule dicam Bisuntino?
Vir est totus deditus operi divino,
Orat pro fidelibus corde columbino,
Sed pugnat cum perfidis astu serpentino.

CIX

Fecit hic arietem, quem de ferro texit,
Qui nostrorum animas plurimum erexit.
Nullus enim credidit, nullus intellexit,
Quod comburi valeat, licet in igne sit [1].

CX

Terruisse creditur mentes paganorum,
Dicebatur etenim quod stragem murorum
Et ruinam faceret, essetque dirorum
Digna retributio scelerum Turcorum.

CXI

Secus tamen accidit, quam æstimabatur, (H) p. 237 — (229) col. 2.
Quod per negligentiam factum non negatur.
Nam ad murum positus tantum lapidatur,
Quod ferrum excutitur, ignisque jactatur

CXII

Ignis ille fœtidus, ignis execratus, (B) f. 146. r. col. 2.
Cum ampullis vitreis desuper stillatus, Incip. iterum (b) f. 7 r. col. 1.
Serpit per gracillimos subterraneos [2] meatus,
Donec, intus æstuans, magnos dat hiatus.

1 *ignem nescit*, H. — 2 *subintrans*, H.

CXIII

Pereat, o utinam! huius ignis [1] vena,
Non enim extinguitur aqua, sed arena,
Vixque vinum acidum ejus arcet [2] frœna,
Et urina stringitur ejus vix habena.

CXIV

Ignis hic conficitur tantum per paganos;
Ignis hic exterminat tantum Christianos;
Incantatus namque [3] est per illos prophanos.
Ab hoc et [4] perpetuo, Christe! libera nos.

CXV

Ignis ille terruit sic nostrorum mentes,
Quod ad pugnam congredi non sunt confidentes,
Verum, ædificia retro retrahentes,
Milites quiescere malunt et servientes.

CXVI

Quomodo nos fatigati frustra expectavimus Reges Franciæ et Angliæ, nequeuntes venire.

Expectare statuunt reges universi,
Sed dum reges veniunt, fluctus sunt adversi
Sic, quod necessario retro sunt conversi,
Alioquin dicitur quod essent submersi.

CXVII

Sed non solum regibus est obstrusum mare,
Nequiverunt reliqui [5] quoque transfretare,
Neque victualia nobis apportare;
Cara [6] nimis apud nos vendebantur, quare [7]

1 *Ignis hujus*, H. — 2 *arctat ejus*, H. — 3 *numquid*, B. — 4 (*et*) add., B. — 5 *alii*, H. — 6 *caro*, H. — 7 *vendebatur care*, H.

CXVIII

De inceptione famis.

De Andegavensibus libræ datæ trinæ
Sunt a me, pro modio parvulo farinæ.
Palatis nobilium carnes tunc equinæ
Respondebant melius, quam quondam gallinæ.

CXIX

De edicto vendendorum cibariorum

Barones constituunt uno prorsus ore,
Ut dentur cibaria pretio minore.
Sed error novissimus pejor fit priore,
Dum non audent vendere consueto more.

CXX

(B) f. 146. v. col. 1.

Non enim cibaria tunc [1] inveniuntur,
Per forum venalia, sed effodiuntur
Pavimenta domorum [2], ubi absconduntur [3].
Sic inops et locuples famem [4] patiuntur [5].

CXXI

De famelicis servientibus, ad Turcos fugientibus.

Milites quid facient, quidve servientes?
Expectasse reges se sunt hi pœnitentes.
Ne per famem pereant igitur timentes,
Turmatim effugiunt ad Turcos servientes.

CXXII

Quod nostri exeunt ad castra Saladini.

Tunc disponunt egredi ad castra Turcorum
Nostri, causa straminis et cibariorum.
Deputant custodiæ sed prius [6] castrorum,
Cum Blesensi comite, ducem Suevorum.

1 *tunc cibaria*, H.— 2 *domini*, H.— 3 *recluduntur*, H.— 4 *famam*, H. — 5 versus 479, 480 invertit b.— 6 *Sed prius deputant custodiæ*, H.

CXXIII

Quomodo Turci exeunt de civitate a parte Pisanorum[1], sed nostri eos reprimunt.

(H) p. 238 — (230) col. 1.

Secus flumen igitur cum sint [1] hospitati
Cives, igne plurimum et armis parati,
A Pisanis exeunt simul congregati,
Castra defensoribus destituta rati.

CXXIV

Super ædificia focum jactitarunt [2],
Usitatis [3] spiculis viros sagittarunt [4],
Donec ducis milites [5] eos dissiparunt,
Et per maris littora plurimos [6] prostrarunt.

CXXV

(b) f. 7 r. col. 2.

Tunc de nostris januam plures [7] intravere,
Et ad muros alii scalas portavere,
Et [8] potiri mœnibus urbis putavere [9],
Nisi quia tenebræ noctis vetuere.

CXXVI

Quomodo Saladinus pugna et dolis fatigaverit nostros, donec ad castra redeunt.

Nov. xiv.

Ad nostrum exercitum, versus Saladinum
Properantem circueunt, juxta matutinum
Turci, die tertia post Sanctum Martinum [10],
Donec castra collocat [11] supra montis sinum.

CXXVII

Saladinus subdolus castra concremavit [12],
Et ad montes properans ibi latitavit.
Nam ad prædam currere nostros æstimavit,
Quos onustos perdere pro ea [13] speravit.

1 *ut sunt*, H. — 2 *Igne Græco machinas humectarunt*, H. — 3 *Assuetis*, H. — 4 *sauciarunt*, H. — 5 *milite*, H. — 6 *Et plures per littora mortuos*, H. — 7 *Urbis inter januam quidam*, B, b. — 8 *Qui*, H. — 9 *urbis mœnibus speravere*, H. — 10 hunc versum add. B. b. — 11 *collocant*, H. — 12 *subdolus remeavit*, H. — 13 *pœnitus perdere*, H.

CXXVIII

Sed ut nostros aspicit non ire prædatum, (B) f. 146. v. col. 2.
Universum dirigit ad hos equitatum;
Vertunt ultra fluvium nostri comitatum,
Et de solo reditu habent cogitatum.

CXXIX

Turci sunt acerrime nostros comitati [1],
Dum coacti sistere castra sunt [2] metati;
Nov. xv. Sed in die postera procul absentati,
Nostris fiunt prævii ad postes fossati;

CXXX

Pro quibus [3] conficitur ibi pugna dura,
Prostratis militibus et equis per rura.
Christiani redeunt in castra secura,
Sic deinceps egredi [4] quibus [5] non est cura.

CXXXI

De nepote Clarimontensis comitis et quibusdam aliis dolo captis.

Sed quia Teutonici, in Sancto Clemente [6],
Turcos effugaverant de campo patente [7],
Exeuntes effugant, in die sequente,
Nov. xxiij-xxiv. Turcos, quidam milites de Francorum gente.

CXXXII

Sed tunc in insidiis pagani latentes
Improviso [8] cursitant, Francos colligentes :
Inter morti [9] deditos et captos viventes [10],
Sunt triginta milites, et horum clientes.

1 *nostris comminati*, H. — 2 *sunt castra*, H.— 3 *A*, H. — 4 *ingredi*, H. — 5 (*quibus*) d. in H. — 6 *de campo patente*, H. — 7 *in Sancto Clemente*, H.— 8 *improvisi*, H. —9 *timori*, H.—10 *ferientes*, B, b.

CXXXIII

De septem navibus Turcorum intrantibus civitatem, nobis invitis.

Dec. xxxi.

Dum nos de materia plasmati terrestri,
Et in arcto positi loco et sylvestri,
Tribulamur malleo nimium agresti,
Quod in festo vidimus beati [1] Sylvestri :

CXXXIV

Septem victualibus naves oneratæ,
Christiani populi sine [2] voluntate,
Receptæ propatulo sunt [3] in civitate,
Nec galeæ nostræ eis sunt adversatæ.

CXXXV

Quomodo tunc Teutonici viriliter expugnaverunt civitatem.

Tunc ibidem juxta me si tu præsens fores, (H) p. 238 — (230) col. 2.
Cum armati circuunt villam bellatores,
Certe Teutonicorum jurares [4] furores,
Universis gentibus esse fortiores.

CXXXVI

Imbres nam missilium densos [5] contempsere, (B) f. 147. r. col. 1.
Ignis atque lapidum jactus pertulere,
Et, muri fastigio [6] dum sperant hærere [7],
Diminutis plurimis scalis, corruere.

CXXXVII

Claruit hoc prælio gens Alamanorum,
Ejus nomen metuunt phalanges Turcorum.
Nam per negligentiam non stetit eorum,
Quod potiti mœnibus non simus [8] murorum.

1 *audias*, H.—2 *absque*, H.—3 *sunt propatulo*, H.—4 *jurasses*, H. 5 *Nam densos missilium imbres*, H. — 6 *fastigiis*, H. — 7 *inhærere*, B. b. — 8 *Quod simus mœnibus potiti*, H.

CXXXVIII

De duodecim navibus Turcorum naufragatis in portu.

Deus quoque pietas cujus cuncta regit,
Qui quos ab initio sibi præelegit,
Licet sinat concuti, semper tamen tegit [1],
Naves mirabiliter Turcorum [2] confregit.

CXXXIX

Nam hærebant scopulis anchoræ jactatæ,
Neque victualia trahuntur [3] de rate,
Fluctuum [4] Cerauniis cum naves quassatæ
Sunt in portus medio cunctæ naufragatæ [5].

CXL

De muro civitatis per imbrem diruto, (quod) nihil nobis profuit. Jan. v.

Dum orationibus beatæ [6] Mariæ (b) f. . v. col. .
Fulcimur, et meritis genitricis piæ,
Audias, quod accidit nobis quadam die,
560 Jejunant vigiliam cum [7] Epiphaniæ.

CXLI

Nocte pluit [8] integra, nec [9] mane sequente
Redeunt spectacula. Sed, Austro fremente,
Crepitant tonitrua æthere candente,
Nix, hymber, cum grandine cadunt [10] vehemente.

CXLII

Christus Dei filius, Deus ultionum,
Qui pro suis dimicans medio [11] agonum
Non gestando clypeum, lanceam vel conum [12],
Urbis muros diruit, magnum dando [13] sonum.

1 *regit*, B. b. — 2 *Turcorum mirabiliter*, H. — 3 *trahunt*, H. — 4 *Ventorum*, H. — 5 Tetr. CXXXVII-CXXXVIII, CXLI^m et CXLII^m locum in (H) occupant. — 6 *Virginis*, H. — 7 *cum vigiliam*, H. — 8 (*pluit*) add., B. b. — 9 *et*, H. — 10 *cadit*, H. — 11 *medio dimicat*, H. — 12 *corium*, H. — 13 *dans ad astra*, H.

CXLIII

Idem olim Jerico mœnia [1] prostravit,
Quam Hebræus populus bonis spoliavit.
Sed, Acconis muros dum ipse dissipavit,
Ad murum Christicolæ nullus propinquavit.

CXLIV

Licet nostris pluvia det impedimenta, (B) f. 147 r. col. 2.
Non fuit militia nostra tamen lenta
Adaptare [2] bellica membris instrumenta [3],
Et a longe premere [4] equos et jumenta.

CXLV

Periit [5] audacia militum Francorum,
Quæ quondam, cacumina transcendens [6] murorum,
Effugabat millia trecenta Turcorum,
Sicut *Gesta* referunt *Antiochenorum*.

CXLVI

Si tantum cum machinis de muro stravissent,
Certatim ad mœnia, credo, cucurrissent [7];
Sed, virtute Domni cum muri corruissent [8],
Promptiores aggredi esse [9] debuissent.

CXLVII

Quomodo Turci ascendunt tumulum quem fecimus.

Dum in natalitiis sancti Fabiani
Pranderent ad tertiam horam Christiani,
Exeunt de mœnibus bis mille pagani, (H) p. 239—(231) col. 1.
Jan. xx. Qui nuper intraverant, facti oppidani.

1 *Jericho mœnia*, H. — 2 *Adaptarunt*, H. — 3 *ornamenta*, H. — 4 *premerunt*, H. — 5 *Perit*, B. b. — 6 *ascendit*, B. b. — 7 *cuncti corruissent*, B. b. — 8 *moniti essent*, H. — 9 *eos*, H.

CXLVIII

Gradualem cumulum [1], quem nostri fecerunt,
Fusis [2] operariis, statim conscenderunt;
Pauci tamen milites eos fugaverunt,
Et eos in foveis urbis prostaverunt.

CXLIX

De quodam insultu noctu facto.

Jan. xxj.

Cum sit exercitio dies destinata,
Et dicatur otio nox esse dicata [3],
Nocte tamen colitur Agnes qua beata,
Ad pugnam egreditur Deo [4] gens ingrata.

CL

Non diurno prælio fuit satiata,
Sed de nocte veniens caterva densata
Est cum igne spicula Græco jaculata (b) f. 7. v. col. 2.
Super nostros vigiles, stantes ad fossata [5].

CLI

Illorum clamoribus [6] nostri perturbantur,
Et, nox licet obviet, statim congregantur;
Pagani velociter in urbem [7] fugantur,
Sed utrinque plurimi prius sauciantur.

CLII

Quomodo Marchio frustra tentat expugnare Turrim Muscarum.

Ratione notum est satis evidenti, (B) f. 147. v col. 1.
Et fide cognovimus hoc experimenti,
Quantum exercitui det [8] impedimenti,
Turris quam in medio portus pulsant venti.

1 *Grandualem tumulum*, H.—2 *Pulsis*, H.—3 *destinata*, H.—4 *gens Deo*, H. — 5 *fossam*, H. — 6 *a quorum tumultibus*, H. — 7 *in urbem velociter*, B. b. — 8 *dat*, H.

CLIII

Ut hanc ergo [1] Marchio possit vendicare,
Fabricatus citius vervex sulcat mare;
Sed cum crebis ictibus debet hanc quassare,
Ipsum cogunt scopuli longius astare.

CLIV

Ut quod nihil proficeret labor hic, cognovit,
Furens, stridens, Marchio machinam removit,
Cum fatorum serie fortunam devovit,
Et suam Beelzebub qui sic turrim fovit.

CLV

De quodam Pono qui prodebat nostros servientes.
Mart. viij.

Martis idus septimo, nostros servientes,
Ut herbas colligerent, foras incedentes,
A Polino proditos, longe discurrentes,
Sarraceni capiunt, in dolis latentes.

CLVI

De contraria fortuna ob nostra peccata, et de morte Prælatorum et Baronum.

Prætermisso quotiens muris erumpentes
Aut a [2] campis subito nobis [3] irruentes,
Turci captivaverant [4] nostros servientes,
Prosequamur alia, parum divertentes.

CLVII

Ob totius populi labem et peccatum
Fortunam contrariam sensimus et fatum,
Quæ nostrum ancipitem, diuque rotatum
In profundum mergere non desistunt statum.

1 *ergo hanc*, H. — 2 *atque*, H. — 3 *nobis subito*, H. — 4 *captivaverunt*, H.

CLVIII

O nequam et infida series fatorum!
O crudelis Atropos! pessima sororum,
Numquid simul rumpere vis Christianorum
Fila, quos [1] præsidio privas prælatorum?

CLIX

Ut enim hereditas nostri Salvatoris
Crucifixi, patria domus Redemptoris,
Venit ad extranei manum possessoris,
Perdidit auxilii multum et honoris.

CLX

De morte Gregorii et Urbani papæ.

(B) f. 147, v. col. 2.

Primo nam [2] Gregorium, statim post Urbanum,
Utrumque pontificem perdidit Romanum,
Qui de Hierosolyma tyrannum prophanum
Habuerunt animum effugandi [3] sanum,

CLXI

De morte Henrici et Guillermi, regum Angliæ et Siciliæ.

Post, Henricum inclytum regem Anglicorum [4]
Et Guillelmum [5] nobilem [6] regem Siculorum,
Qui suis præsidiis sunt Christianorum
Tutati reliquias de manu [7] Turcorum.

CLXII

De morte Archiepiscopi Ravennatis et Episcopi Faventini.

Quisquis Archipræsulem novit [8] Ravennatem,
Faventini præsulis atque probitatem,
Ob illorum obitum Christianitatem
Scit tulisse maximam incommoditatem [9].

1 *quod*, H. — 2 *namque*, B. b. — 3 *profugandi*, H. — 4 *Anglorum*, H. — 5 *Guillermum*, H. — 6 *nobilem*, B. b. — 7 *manibus*, H. — 8 *noverit*, H. — 9 hunc versum add. B. b.

CLXIII

De morte Landgravii.

Sed quid dignum [1] referam nobilis Lantgravi,
Corporis et animi fuit vir [2] magna vi. *Hic expl.* (b).
In Dei servitio qui labore gravi
Consumptus, in reditu periit [3] in navi.

CLXIV

De morte Comitum Theobaldi et Stephani qui fuerunt fratres.

Adventus laudabilis comitum duorum,
Theobaldi, Stephani, fratrum germanorum,
Gaudium infuderat mentibus Francorum,
Sed hos nimis vulnerat cita mors eorum.

CLXV

De morte Episcopi Cantuariensis.

Sanctus archipontifex Cantuariensis,
Populum consilio fovens [4] et expensis,
Militonum cœtibus catervatus densis,
Recreabat pauperes sumptibus immensis.

CLXVI

Quem [5] sic postquam vineæ mors [6] intentum vidit,
Tantis operarii fructibus invidit,
Vitæ filum [7] protinus illius succidit :
Clerus, plebs, cum milite, quare vestes scidit.

CLXVII

De morte Archiepiscopi Bisuntini et Ducis Suevorum, Imperatoris filii.

Huic archiepiscopus, gemma clericorum,
Bisuntinus obiit, duxque Suevorum,
Cui ni [8] contraria foret sors fatorum,
Stravisset innumeras acies Turcorum.

1 *digne*, H.—2 (*vir*) add. B.—3 *transiit*, B.—4 *fovit*, B.— 5 *Quæ*, H. — 6 (*mors*) add. B. — 7 *filium*, H. — 8 *Qui nisi*, H.

CLXVIII

Nam, ut fuit proprio privatus parente, (B) f. 148. r. col. 1.
Qui, velut prædiximus, stipatus ingente
Turba venit militum, factus est repente
De torrente stabilis, tepens de fervente.

CLXIX

De magna fame.

Sic nostris [1] baronibus in necessitatis
Destituti tempore sumus, et prælatis,
Aliisque plurimis [2] non hic nominatis,
Puniente peccata Deo nostra satis [3]

CLXX

Et in verbo dicere veritatis tibi
Possunt, qui tunc temporis remanserunt ibi,
Quod sunt indigentiam tantam passi cibi, (H) p. 240 — (232) col. 1.
Quod nescimus similem ab antiquis scribi.

CLXXI

Ploratu cibaria grandi [4] quærebantur,
Pro jugi inedia pauci [5] consolantur.
Sed, si quando forsitan inveniebantur,
Cum amaris poculis fletus [6] miscebantur.

CLXXII

Idem cibus dominum et equum alebat;
Nam cum equo dominus panem dividebat;
Herbas, quas periculo mortis colligebat,
Equus crudas, dominus coctas comedebat.

1 *istis*, H. — 2 *pluribus*, H. — 3 *Nobis adversantibus cum fortuna fatis*, H. — 4 *gravi cibaria*, H. — 5 *Nec quærentes quoniam non sic*, H. — 6 *fletu*, H.

CLXXIII

In tanta penuria rerum edendarum,
Nos in quadragesima cibis equinarum
Recreamur [1] carnium et camelinarum,
Aliis rodentibus textas carublarum.

CLXXIV

Multi qui divitias suas aliquando
Fuderant pauperibus, eas erogando,
Nihil sumunt, exules facti mendicando;
Quare diem ultimum claudunt jejunando.

CLXXV

Quod Pontifices statuunt eleemosynas fieri.

Tunc sacri pontifices, sacrique prælati,
Principes Ecclesiæ sanctæ [2] deputati,
Vincla [3] pœnitentibus relaxant [4] peccati,
Qui de suis conferunt tantæ paupertati.

CLXXVI

Ut habere valeant hanc remissionem, (B) f. 148 r. col. 2.
Omnes largam faciunt erogationem,
Post cordis munditiam et confessionem [5];
Sed prælati faciunt distributionem.

CLXXVII

Ut tantæ participes sint remissionis,
Præ cordis mundicia [6] et confessionis,
Erogant de propriis omnes large bonis;
Onus ferunt præsules distributionis.

1 *Recreabamur*, B.— 2 *sancti*, H. — 3 *Vincula*, H. — 4 *reserant*, H.— 5 add. hunc versum B.— 6 *mundiciam*, B.

CLXXVIII

Quomodo mitigatur fames.

Ut [1] hæc eleemosyna cœpit erogari,
Iram Dei protinus sensimus placari.
Intuemur etenim eminus in mari
Nobis victualia navibus portari.

CLXXIX

Qantum vendebantur victualia.

Tunc farinæ modius sex minus centenis
Vendebatur aureis, frumenti sex denis;
Ordeique modium [2] dabant quadragenis,
Reperto vix furfure aureis septenis.

CLXXX

Tres in uno solidi pomo donabantur,
Viginti nuciunculæ pro nummo dabantur;
Ficus pro denario septem vendebantur;
Pruna cum amygdalis decem emebantur [3].

CLXXXI

De miraculo alleviatæ famis.

Pro prædicto pretio nequibat frumenti
Reperiri modius, die præcedenti,
Qui dabatur publice cuivis offerenti
Pro duobus aureis [4], in die sequenti.

CLXXXII

O mira potentia summæ Deitatis,
Quæ [5] tam mirabiliter onus paupertatis
Christianis abstulit, gravis egestatis
Tempora, temporibus mutans ubertatis.

1 *Et*, H. — 2 *modicum*, B.— 3 Tetrast. CLXXX d. in H. — 4 *Duos vel tres aureos*, H.— 5 *Qui*, H.

CLXXXIII

Quomodo Rex Franciæ venit, et expugnavit civitatem.

Apr. xiij.

Incipit (O) f. 187. r. col. 2.

Sabbato post Domini Resurrectionem,
Philippus rex Franciæ veniens Acconem,
Totam mentis operam et intentionem
Circum villæ posuit expugnationem.

CLXXXIV

(B) f. 148. v. col. 1. (H) f. 240—(232) col. 2.

Secus Turris ergo Maledictæ latus
Erigit petrarias, illic hospitatus,
Aliasque machinas, nec non apparatus,
Quorum murus ictibus corruat [1] quassatus.

CLXXXV

Dumque muros dissipat, et implet fossata,
Quæ profunda fuerant admodumque lata,
Instrumenta plurima sunt ibi cremata,
Aliisque variis modis dissipata.

CLXXXVI

De Rege Angliæ divertente Cyprum, eamque subjugante.

Interim rex inclytus Angliæ [2] Ricardus,
Qui fama tunc floruit [3] ut odore nardus,
Metuendus hostibus sicut feris pardus,
Cyprum iter verterat [4], licet suis tardus.

CLXXXVII

Nam tyrannus insulæ, turbo pietatis,
Tribus ibi navibus regis naufragatis,
Homines recluserat [5], manibus [6] ligatis,
Equis, victualibus, armis usurpatis.

1. *corruat ictibus*, H.— 2 *Angliæ inclitus*, H.— 3 *per famam redolet*, H.— 4 *tunc venerat*, H. — 5 *incluserat*, H. O. — 6 *navibus*, H.

CLXXXVIII

Sed a rege reddere cuncta postulatur.
Negat, pugnat, vincitur [1], fugit, vinculatur,
Digna factis ultio digne compensatur.
Captivator hominum modo captivatur.

CLXXXIX

Vicis [2], castris, urbibus Cypri subjugatis,
Plene licet [3] faveant, rex [4] addenda fatis [5]
Cogitat [6] calcaria. Nondum [7] ergo datis,
Ventis, intrat pelagus, fluctibus iratis.

De quadam navi Turcorum, onerata igne Græco et armis, volente intrare civitatem, quam ita expugnavit Rex Angliæ quod tota penitus submersa est, cum omnibus in ea contentis.

CXC

Dum Acconem sat agit ita maturare,
Navi magnæ contigit molis [8] obviare
Quam Acconem comperit velle remigare [9],
Et Turcis præsidia maxima portare.

CXCI

Ad hanc ergo galeæ cunctæ congregantur,
Sonant tubæ, classica, tympana pulsantur,
Exseruntur gladii, arcus sinuantur,
Et [10] ad instar grandinis spicula vibrantur.

CXCII

At Turci de caveis, ut de castro forti, (B) f. 148. v. col. 2.
Ictu nostros, lapidis ut tormento torti,
Sudibus et jaculis tribuentes morti,
Metum nostræ maximum ingerunt cohorti.

1 *vincit*, H. O. — 2 *victis*, H. — 3 (*licet*) add. B. — 4 *regi*, H. — 5 *addendaque satis*, H. — 6 *Cogitent*, H. — 7 *mundum*, H. — 8 *molis contigit*, H. — 9 *rex velle intrare*, H; *velle rex intrare*, O. — 10 (*Et*) add. B. O.

CXCIII

Sed, per vocem regiam sese resumentes,
Turcos vexant [1] acrius supereminentes,
Jaculorum verubus caveis figentes.
Nostros tamen reprimunt, igne perfundentes.

CXCIV

Sed [2] dum navis rumpitur rostris galearum,
Ignis, sudes, jacula, profuere parum.
Nam, dum illos sorbuit puteus aquarum,
Esca fiunt [3] volucrum atque belluarum.

CXCV

Armis potentissimi periere mille,
Quod si forte mœnia recepissent [4] villæ,
Nunquam hos devinceret iste rex vel ille,
Nec occurrens [5] Græcia tota cum Achille.

CXCVI

Versus Accon igitur malus incurvatur,
Oculis navigium æquora furatur.
Christianus populus gaudens gratulatur,
Et confusus [6] Ethnicus dolet, et turbatur.

CXCVII

De machinis Comitis Flandriæ Regi datis.

Instrumenta protinus jubet præparari (H) p. 241 — (233) col. 1.
Sed, ne vacet interim, comitis præclari
Flandrensis petrarias poscit sibi dari,
Omnes flebant obitum cujus tanquam cari.

1 *vexat*, H. — 2 *Et*, H. O. — 3 *fuerunt*, H. — 4 *recepissent mœnia*, H. O. — 5 *currens*, H. — 6 *confisus*, H.

CXCVIII

De Rege Franciæ murum ascendente cum suis, ex altera parte.

Ruptis propugnaculis, muros, turres strarat.
Parte sed ex [1] altera qui jam explanarat
Primi muros ordinis, alios quassarat,
Rex Francorum scandere civitatem [2] parat.

CXCIX

Milites, appositis scalis, ascendebant,
Sed hos igne liquido Turci perfundebant,
Et se [3] murum insimul omnes opponebant,
Aliunde [4] neminem quoniam [5] timebant.

CC

Quomodo, Anglicis non pugnantibus, Marescalcus Franciæ obiit.

(B) f. 149. r, col. 1.

Nam [6] suum [7] rex Angliæ castrum expectabat,
Nec de suis interim quisquam dimicabat.
Illuc [8] omnis Asiæ manus acclinabat,
Ubi sola Franciæ virtus [9] impugnabat [10].

CCI

Miles strenuissimus, inclytus et fortis,
Marescalcus Franciæ, militum cohortis
Rector, ibi subiit [11] diræ [12] jura mortis,
Quem planxit exercitus, lachrymis obortis.

CCII

Quomodo Francis cadentibus (non) terretur Rex.

Duxit ergo cedere Gallica juventus;
Sed hinc [13] non efficitur segnior vel lentus,
Nec est, primo diruto muro, rex contentus,
Ad stragem alterius ordinis intentus [14].

1 (*ex*) add., B. O. — 2 *civitatem scandere*, H. — 3 *hos*, O. — 4 *Et aliunde*, H. — 5 *quum tunc*, H. — 6 *Jam*, H. — 7 *secum*, O. — 8 *Illic*, H. 9 *manus*, B. — 10 *pugnabat*, H. — 11 *solvit*, H. O. — 12 *piæ*, B. — 13 *hic*, H. — 14 *contentus*, H.

CCIII

De Turri Maledicta, cæsa, tonsa et quassata.

Eminebat ibidem Turris Maledicta,
Quondam solo nomine, nunc re maledicta,
Supertonsa [1] machinis, subtus facta crypta,
Qua defensa civitas olim [2] est, nunc victa.

CCIV

Nam, quadris lapidibus undique sublatis,
Omne jam amiserat robur firmitatis,
Columnis et postibus subtus coaptatis,
Ruitura [3] funditus, tantum concrematis.

CCV

Quod Turci, timentes ruinam Turris, offerunt civitatem.

Lapsu [4] turris igitur territi timore,
Pessimo in [5] dubiis rebus suggestore,
Turci, pertinaciæ [6] posito furore,
Civitatem offerunt supplicantum [7] more.

CCVI

De controversia Christianorum et Turcorum, per Marchionem sedata.

Ablata restitui cuncta, christianis
Cum captivis, postulant reges a paganis;
Dum sit controversia super his [8] immanis,
Hanc diremit Marchio doctus in mundanis.

CCVII

Procurandam etenim hanc per Marchionem
Reges ordinaverant [9] compositionem.
Ad tollendam igitur dubitationem,
De promissis tribuunt sese [10] cautionem. (H) p. 241 (233) col. 2.

1 *Supertenta*, B. — 2 *olim civitas*, H. — 3 *ruituris*, H. — 4 *Lapsus*, H. — 5 *etiam*, H. — 6 *contumaciæ*, O. — 7 *supplicantium*, H. — 8 (*his*) add., B. O. — 9 *ordinaverunt*, O. — 10 *sese dederunt*, H.

CCVIII

De rebus cum civitate redditis.

(B) f. 149 r. col. 2. (O) f. 187. v. col. 2.

Urbem, suppellectilem, arma reddidere,
Captivos cum navibus, quotquot habuere
Urbis intra mœnia, quadringentos fere;
Vestes tamen retinent, quas jam [1] incisere.

CCIX

De his quos Saladinus nobis reddere promisit.

Saladinus insuper, ad vota nostrorum
Dans electos milites centum aliorum,
Captivorum corpora mille quingentorum
Cum ducentis millibus spondet [2] aureorum.

CCX

Signum quoque reddere [3] pretiosæ Crucis
Lignum, in quo calicem Passionis trucis
Ebiberunt viscera gloriosi ducis,
Suggerente principe tenebrosæ lucis.

CCXI

De vexillis Regum positis in civitate.

Juramento placuit pactum confirmari,
Et vexillis regiis [4] turres titulari [5].
Tunc videres pueros, senes, gratulari,
Et victori Domino laudes [6] modulari.

CCXII

Descriptio temporis quo fuit capta civitas.

A natali Domini, mille ducentorum
Novem minus spatium fluxerat annorum:
Accon fere circulis obsessa duorum,
Jul. xj. Idus quarto Julii, redditur annorum.

Explicit (B)

1 *jam*, add., B. O — 2 *millibus reddere*, H. O.— 3 *Reddi quoque debuit*, H; *Signum quoque redditur*, O. —4 *regis*, H.— 5 *speculari*, H. — 6 *De victoria laudes Domino*, H. O.

CCXIII

Quomodo Reges discordantur, capta civitate.

Postquam reges mœnibus urbis sunt potiti,
Arma, victualia, vades, sunt partiti;
Quamque [1] diu [2] foverant intendentes liti,
Simulatæ fœdera pacis sunt obliti.

CCXIV

Dum enim rex Angliæ protegit Guidonem,
E contra rex Franciæ, fovens Marchionem,
Illi suam tribuit terræ portionem,
Parat hic ad propria dum reversionem.

CCXV

Quomodo Saladinus noluit attendere pactum, veniente termino.

Imminebat terminus datus a paganis,
Quo ipsi spoponderant Crucem christianis,
Nec vult plebem sinere cor iniqui canis
Induratum, redimens tempus verbis vanis.

CCXVI

Quomodo Rex Angliæ fecit interfici obsides Turcorum.

Coram tabernaculis igitur Turcorum,
Jugulari corpora clarus rex Anglorum
Plus quam tria millia jubet captivorum,
Pro reddenda vadium Cruce relictorum.

CCXVII

De auro invento in visceribus occisorum.

Inhumane carnifex cœpit desævire;
Quod referre [3] nephas est, tædium audire,
Ita vidi plurimos aureos sitire,
Ut aurum in viscera vadant exhaurire.

1 *quam quod*, H.—.2 *foveant*, O. — 3 *Quodque ferre*, O.

CCXVIII

Nec illorum sufficit stercora lavari,
Sed jubentur corpora flammis concremari.
Tunc videres cineres crebro ventilari,
Et ab iisdem rutilans aurum sequestrari. (H) p. 242— (234) col. 1.

CCXIX

Nam hæc, plena plurimis dolis gens, per ora
Aureos reconderat in [1] interiora,
Quos emittens postea per inferiora,
Assumebat iterum sero vel aurora.

CCXX

De corrigiis et felle ab eorum lateribus et hepate raptis.

At [2] plures corrigiis arcus incurvabant,
Illorum lateribus, quos excoriabant.
Raptum fel ab hepate [3] reliqui portabant,
Quo pleni nequitia Turci redundabant.

CCXXI

De gaudio innato nobis et morte eorum qui Crucem promiserant.

Talia conspiciens quisque gratulatur
Quod in illos Dominus sic se ulciscatur,
Qui Crucem promiserant, in qua designatur (H) p. 242 — (234) col. 2 *Explicit* (O).
Ejus mortis passio, nobis vita datur.

CCXXII

De provisione Dei, civitas nobis reddita fuit per pactum.

Dei factum creditur hoc provisione,
Quod urbs nobis reddita fuit pactione,
Fraudati fuerimus licet sponsione
Super Crucis, regibus facta datione.

1 (*in*) add. O.— 2 *et*, H. — 3 *epate*, O.

CCXXIII

Nam qui cruciatibus digna patravere,
Mortem quam meruerant isti pertulere;
At nostrorum acies salvæ perstitere,
Protegente Domino, pro quo pugnavere.

CCXXIV

Saladinus etiam fide leviori
A suis habebitur, qui permisit mori
Hos per avaritiam; at nos Creatori
Melos demus, digitum imponentes ori. *Explicit* (H)

APPENDIX

CARMINA TRIA TETRASTICHA (1)

ACCONENSI RHYTHMO

ÆTATE ET ARGUMENTO AFFINIA

I

PLANCTUS DE AMISSIONE TERRÆ SANCTÆ (2)

EX COD. MS. BENEDICTOBURANO BIBL. REG. MONACENSIS (3)

(f° 15 r° — 16 v°).

Eheu! voce flebili cogor enarrare
Facinus quod accidit nuper ultra mare,
Saladino concessum quando est vastare
Terram quam dignatus est Christus sic amare.

(1) Hic tetrasticha tantum inseruimus carmina; sed alia etiam de iisdem supersunt, aliis autem conscripta metris: 1° *Carmina Burana*, n° XXII-XXVIII, ed. Stuttgard, p. 24-34; 2° Bertheri *Cantilena Crucigerorum*, quæ in Rogerio de Hoveden (Ed. Savile, p. 639) legitur; 3° Anonymi cujusdam *Disticha de Salahadino* (Cod. ms. Bibl. Cæs. Paris., supp. lat., n° 8960, f° 1); 4° Erboni *Disticha de capta Hierusalem* (Bibl. Palat. Vindob., n° $\frac{984}{550}$, f° 30 r°-31 v°). Cf. Denis, *Codd. mss. Bibl. Palat. Vindob.*, I, p. 746, etc.

(2) Quater jam typis mandatus, videlicet: (*a*) in Von Aretin, *Beyträge zur Geschichte und Literatur*, t. VII, p. 297; — (*b*) in Soltau, *Ein Hundert Deutsche Volkslieder*, p. 35; — (*c*) in Edélestand du Méril, *Poésies latines antérieures au XIIe siècle*, p 411; — (*d*) In *Bibl. des Literar. Vereins in Stuttgard*, XVI, p. 29-32. Cf. Grimm, *Gedichte des Mittelalters*, p. 177, 212.

(3) De codice isto (Membr. Sæc. XIV) vide *Carmina Burana*, ed. Stuttgard, præfat.

Exeunte junio, anno post milleno
Centum et octoginta juncti cum septeno,
Quo respexit Dominus mundum, sorde pleno,
Erigens de paupere pauperem a cœno,

Malus comes Tripolis, mentem ferens ream,
Magna cum tyrannide tenens Tybeream,
Turcos suis fraudibus ducit in Judæam
Atque primum occupat totam Galileam.

Saladinus convocat barbaros per gyrum,
Habitantes Phrygiam, Pontum, usque Tyrum,
Agarenos populos, Arabem et Syrum,
Ab Ægypti finibus usque in Epirum.

Veniunt Hircanii, Curdi (?) et Meditæ (?),
Mauri atque Getuli, Barbari et Scythæ,
Moab, Ammon filii, et Ismaelitæ;
Atque cum his omnibus sunt Amalechitæ.

Turcos ac Massagetas præcipit adesse;
Katari et Sarmates nolunt hinc abesse;
Currunt Quadi, Vandili, Medi atque Persæ;
Undique conveniunt gentes sic diversæ.

Terram intrant inclytam, cuncta devastantes;
Capiunt Christicolas senes et infantes,
Et, ut feræ pessimæ sanguinem amantes,
Jugulant puerulos, dividunt prægnantes.

Saladino igitur terram sic ingresso,
Rex atque Templarii currunt ex adverso;
Totis obstant nisibus barbaro perverso,
Cupientes populo subvenire presso.

Turci pugnant acriter jacula mittentes,
Christianos vulnerant, cædunt resistentes,
Et, ut malæ bestiæ, dentibus frementes,
Territant sonipedes, tubis perstrepentes.

Nostri se dum sentiunt ita prægravatos
Et a malis gentibus undique vallatos,
Stringunt suis manibus enses deauratos,
Atque truncant fortiter Barbaros armatos.

Plus quam decem millia erant Christiani,
Sed pro uno quolibet ter centum Pagani;
Sic pugnando cominus Bactri et Hyrcani,
Vix ex nostris aliqui evaserunt sani.

Rex cum Cruce capitur; alii truncantur;
Ter centum Templarii capti decollantur,
Quorum nulla corpora sepulturæ dantur;
Sed a Christo animæ cœlo coronantur.

Nostræ postquam acies ita sunt confractæ,
Currunt crudelissimæ gentes illa parte,
Urbem Acrim capiunt absque ullo Marte,
Atque omnes alias, manu, sine arte.

Surim solam liberat nautica marinus,
Marchio clarissimus, vere Palatinus,
Cujus vires approbat Græcus et Latinus;
Timet quoque plurimum ferox Saladinus,

Latro ille pessimus, terræ devastator
Per quam suis pedibus transiit Salvator,
Natus qui ex virgine, omnium creator,
In præsepi ponitur Cœli fabricator.

Inde siccis pedibus maria calcavit,
Et ex quinque panibus multos satiavit:
Quem Johannes prædicans digito monstravit,
Et Jordanis sentiens post retrogradavit.

Cruci demum fixus est Deus homo natus;
Aquam atque sanguinem sparsit ejus latus.
Quo ac tali pretio mundus est salvatus
Qui per primum hominem fuerat damnatus.

Eheu! terra inclyta, terra vere bona,
Sola digna perfrui florida corona!
Terra cui dederat Deus tanta dona,
Eheu! quantum impia te nunc cingit zona!

Eheu! eheu! Domine, gloria justorum,
Angelorum bonitas, salus peccatorum!
Ecce canes comedunt panes filiorum,
Velut aqua funditur sanguis nunc Sanctorum!

Flete, omnes populi! Flete et non parum!
Graves luctus facite, planctum et amarum!
Flumina effundite, undas lacrymarum!
Sic ruinam plangite urbium sanctarum.

Flete amarissime, omnes auditores!
Magni atque minimi, fratres et sorores,
Mutate in melius vitam atque mores;
Nam de cœlo prospicit Deus peccatores.

Dat flagella impiis, punit delinquentes
Et per tempus corrigit stulta præsumentes;
Humiles glorificat, dejicit potentes,
Recipit ut filios digne pœnitentes.

Sic iratus Dominus quondam Israeli,
Judicans e nubibus et de alto cœli,
Arcam Testamenti, accensus igne zeli,
Tradidisse legitur populo crudeli.

Sed, et quamvis viribus hæc putabant acta,
Sunt compulsi plangere statim sua facta;
Coegerunt reddere munera cum Arca;
Nam illorum viscera stabant putrefacta.

Convertamur igitur et pœniteamus;
Mala quæ commisimus fletu deleamus
Atque Deo munera digne offeramus,
Ut, placatus lacrymis, donet quod rogamus.

II

VERSUS DE CRUCIGERIS

EX ROGERIO DE HOVEDEN (1)

Graves nobis admodum dies effluxere,
Qui lapillis candidis digni non fuere :
Nam luctus materiam mala præbuere,
Quæ sanctam Jerusalem constat sustinere.

Quis enim non doleat tot sanctorum cædes,
(Et) tot sacras Domino profanatas ædes,
Captivatos principes et subversas sedes,
Devolutos nobiles ad servorum pedes?

Sed hæc non effugient oculos videntis;
Videns vidit Dominus nostræ mala gentis,
Et audivit gemitum plebis innocentis,
Et caput conterere descendit serpentis.

Suscitavit igitur Deus Hebræorum
Christianos principes, et robur eorum,
Vindicare scilicet sanguinem sanctorum,
Subvenire filiis mortificatorum.

Procedunt cum millibus multis armatorum
Illustris rex Angliæ, atque rex Francorum;
Est videre gloria agmen senatorum,
Armis et justitiæ cultibus decorum.

(1) Rogerius de Hoveden, ed. Savile, p. 666. Cf. *Hist. litt. de la France*, XV, p. 339.

Est audire gratius fidei amicum,
Romani imperii caput, Fredericum,
Debellantem jugiter Crucis inimicum,
Ut reformet patriam statum in antiquum.

Tendunt, cruce prævia, versus Orientem,
Atque secum contrahunt totum Occidentem :
Lingua, ritu, moribus, cultu differentem
Producunt exercitum, sed fide ferventem.

Ut victores redeant, imploremus Deum!
Ut tollant de medio terræ Cananæum,
Ingressi Jerusalem pellant Jebusæum,
Christianæ gloriæ portantes trophæum.

III

CONDUCTUS DE ITINERE JEROSOLIMORUM (1)

(Ineditus)

EX COD. MS. BIBL. PALAT. VINDOBONENSIS N° $\frac{\text{H 883}}{\text{Th. 781}}$ (*Membr. Sæc.* XIV,

(f° 100 r°).

Christiani nominis corruit insigne :
Spurci pompa germinis et gentis indignæ
Regnat in Jherusalem. Quis ferro, vel igne,
Deleat propaginem sobolis malignæ?

(1) Tertium istud poema a prioribus in eo differt, quod hemistichus non solum posterior quisque quaternis, sed prior etiam binis vocibus consonantibus sæpius terminatur.

Capta est hæreditas pendentis in ligno;
Si quos regit veritas numine benigno,
Horum crucis pectora consignentur signo;
Publicentur robora populo maligno.

O florens militia christianæ gentis!
Quis facit opprobria sæcula regentis?
Ordinentur acies populi credentis,
Fabricetur aries, dentur vela ventis.

Nostræ, fratres! vigeat disciplinæ cultus,
Pax inter nos maneat, sit rancor indultus!
Sentiant Iherusalem gentiles tumultus,
Christiani roboris viriles assultus!

Cur gens non opprimitur vitæ bestialis,
Qua sic Christi premitur sedes principalis?
Fœdum in prostibulum civitas regalis
Versa est, in stabulum domus specialis.

A Summo Pontifice exiit edictum :
Neminem detineat scelus vel delictum;
Indulgetur penitus culpæ maledictum,
Si quis occubuerit per iter indictum.

Vestris qui sceleribus estis involuti!
Piscina comparuit congrua saluti
In qua quotquot sanguine funditus abluti
Lætabuntur illico cœlum consecuti.

Ergo, si vos moveat zelus domus Dei,
Rogo vos admoneat idem Machabæi,
Sub quo pauci totiens vicerunt Judæi;
Valde mentes acuit tanta forma rei.

Constipetur classibus maris latitudo!
Plebs, quirites, principes, regum celsitudo,
Ite! si quem hostium terret multitudo,
Noverit quæ desuper datur fortitudo.

Surgat invincibilis pastor Romanorum,
Accingatur nobilis probitas Francorum,
Producatur agilis populus Anglorum
Necnon et horribilis turba Bohemorum!

Sedens adhuc modicum cinere conspersa,
Tuum lauda medicum, civitas dispersa!
Ad te nostra pervolat gens bene conversa,
Ut jam te non incolat Medus neque Persa.

Adhuc sulcant æquora plus quam rates mille,
Plenæ gente libera mentis non pusillæ;
Ni gurges impediat Charybdis et Scyllæ,
Tutum est ut fugiat filius ancillæ.

Ergo nunc accelerent fortes regionum!
Cedat amor sanguinis et cognationum!
Aderit in prælio Deus ultionum,
Cujus cadit brachio robur nationum.

(*Finit conductus de itinere Jerosolimorum.*)

RHYTHMI ACCONENSIS

CUM

ITINERARIO RICARDI I

(ED. STUBBS. LOND. 1864, IN-8°)

LOCORUM INDEX CONGRUENTIUM

	RHYTHMUS		ITINERARIUM RICARDI			
Tetrast.	XIV	Lib. I	cap.	XXVI	p.	60- 61
»	XV-XVI	»	»	XXVI	»	61- 62
»	XXI-XXIII	»	»	XXIX-XXX	»	68- 72
»	XXIV-XXV	»	»	XXXI	»	73
»	XXIX	»	»	XXXIII	»	77
»	XLIX	»	»	XXXIV	»	79
»	LI-LIV	»	»	XXXVI	»	84- 85
»	LV-LVI	»	»	XXXVIII	»	87
»	LVII	»	»	XXXIX	»	88
»	LXII-LXXXVIII	»	»	XIX-XXIV	»	42- 58
»	LXXXIX-XCVIII	»	»	XL	»	89- 91
»	CII-CV	»	»	LVIII	»	109-111
»	CVI-CVII	»	»	XLI-XLIII	»	91- 94
»	CVIII-CXI	»	»	LIX	»	111-113
»	CXXII-CXXVII	»	»	LXI	»	115-117
»	CXXVIII-CXXX	»	»	LXII	»	117-119
»	CLXV-CLXVI	»	»	LXV	»	123-124
»	CLXIX-CLXXX	»	»	LXVI-LXXVIII	»	124-135
»	CLXXXI-CLXXXII	»	»	LXXIX	»	136
»	CLXXXVI-CLXXXIX	II	»	XXX-XXXIII	»	184-194
»	CXC-CXCV	»	»	XLII	»	204-209
»	CXCVI	III	»	I	»	210-211
»	CXCVIII-CC	»	»	V	»	214-217
»	CCI	»	»	X	»	223-224
»	CCIII-CCIV	»	»	XVII-IX, XI	»	218-224
»	CCVI-CCX	»	»	XVII-XIX	»	231-235
»	CCXIII-CCXIV	»	»	XXI	»	236-238
»	CCXV	IV	»	II	»	240-241
»	CCXVI-CCXXI	»	»	IV	»	243

Ex codice Babenbergensi, n° B. IV 29 fol. (f. 143 r. col. 1-2).
Ex Monachi *Rhythmo* (v. 1-12, 33-44).

Rithm⁹. de expeditione ierosolimitana.

Dum Romanꝰ pontifex degeret uerone.
urbanꝰ memorie atq; fame bone:
Saladinꝰ ipꝰ absq; ratione:
Occupauit syriā fera ditione.
Urbe tybiadis armis expugnata.
Ceta sunt menia sponte data.
Nō ē opꝰ lancea. nō ē opꝰ spata.
Sic ei subueniunt cū fortuna fata.
Urbe tamē ṫpolis nō fuit potitꝰ.
Hec qbꝰdā aliis uicta maris litꝰ.
Hāc tutauit marchio uissudi citꝰ.
Urbem tyri. ueluti ouige marit⁹.

Cū eodē ꝓpant pugnatoꝝ flores.
Certatī accelerant uiri bellatores.
Vulgꝰ cū pceribꝰ. cū magnis minores.
Tra mari resonant ēcis pcitores.
Cardinalis pbr. pontifex verone.
Adelarduꝰ ope clarꝰ ꝯ sermone:
Famulat tē tempis hac intentione.
Ut pugnare doceat nos ꝑ ratione:
Fert suum pontificis h legationē.
Ut hortet uiros ad transfretationē.
Sꝫ ū eiꝰ meliꝰ capiant sermonē.
Ipē ēcem suscipꝰ currens ad agonē.

Snecris uecti

Ex fragmentis cod. Babenbergensi, n° B. IV. 29. fol. *annexis* (f. 5 r. col. 1).
Ex Monachi *Rhythmo* (v. 1-36).

Dum romanus pontifex degeret verone
Urbanus memorie atque fame bone

. . . .

. . . .

Urbe tyberiadis armis expugnata
Cetera menia sibi sponte data
Non est opus lancea, non est opus spata
Sic ei subvenit est fortuna fata
Urbem tamen tripolis non fecit potentem
Nec quibusdam aliis iuxta maris litus
Nam vetavit marchio plenus dei cultu
Urbem tyrum velut consurgens mare
Expugnavit postea urbem ascalonem
Bonus eos compulit ad deditionem
Incolis ierusalem dat conditionem
Ut dent censum propriam in redemptionem
Ad sepulcrum vetuit ire christianis
Sanctam ac mirificam crucem dat paganis
Dum quoque misceret templis sacra sic prophanis
Ecce nos aspicians servum lambit canis.
Fama volans venit ad partes occidentis
Universos animat christiane gentis
Ad occursum properent ut omnipotentis
Qui solus precipe mari sat venientis
In primis rex francie atque rex anglorum
Signum venerabile crucis et decorum
Eius sequitur huius filius successus horum
Tardius est dum nimium servat donum thorum
Fridericus inclitus princeps romanorum
Triumphator bellicus metor p horum
Habito consilio per regnum grecorum
Ad argei accesserunt hortu durorum
Cum eodem properant pugnatorum flores
Certatim accelerant viri bellatores
Unusque est pectoribus et in magnis maiores (minores)
Terra mari resonat crucis portitores

Snetcir

Ex cod. Oriel. Oxoniensi, n° $\frac{853}{2}$ (f. 187 r. col. 2).
Ex Monachi *Rhythmo* (v. 729-776).

abato post diu resurrectionem
hilipp9 rex francie veniens aconem m.
bram mentis opam 7 intentionem
irca uille posito expugnationem
ecas turres q̄ maledicte latus
rigit petrarias illic hospitatu s
hasq; machinas nec non apparatu
uorz muri corruat ictib9 quassatu
D usq; muro e dissipat impleatq; fossata
N ec p̄funda fuerat ad modiq; lat a
J llhu sita ptima k ibi cremat
A liusq; navis modis dissipat

ERRATA

Pagina 3 (ultima linea), adde : (3).
— » (notæ), adde : (3), *D. Bouquet*, XIX, *p.* 88.
— 15, l. 2, *erat*, lege : *esset.*
— 16, l. 19, *singuli tetrastichi*, lege : *singula tetrasticha.*
— 65, l. 2, *den Frommes*, lege : *des Frommen.*





